Annus XVI. Iulius 1902. N. 7.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA NOVISSIMA

I.

NOVARCEN. (Newark).

Usus invaluit in dioecesi Novarcensi ut super Altaribus, una cum candelis ex cera confectis, lumina ex *gaz* accendantur ad maiorem splendorem obtinendum. Dubitans porro hodiernus Episcopus Novarcen. utrum id liceat, a Sacra Rituum Congregatione exquisivit:

" An super Altari, praeter candelas ex cera, tolerari possit ut habeatur etiam illuminatio ex *gaz*, vel an usus praedictus prohiberi debeat?„

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, eiusmodi dubio rescribere censuit: *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam.

Atque ita declaravit et rescripsit. Die 8 Martii 1879.

D. Card. BARTOLINI, *Praef.*

L. ✠ S.

Placidus Ralli, *Secret.*

Ita reperitur in Actis et Regestis Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis. In fidem etc.

Ex eadem Secretaria. Die 16 Maii 1902.

P. R. P. D. D. Panici Archiep. Laodic., *Secret.*

L. ✠ S.

Philippus di Fava, *Substitutus.*

II.

NATCHETEN.

R.mus D.nus Thomas Heslin, Episcopus Natcheten., a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii declarationem humiliter expetivit; nimirum:

Quum Sacra Rituum Congregatio in una *Novarcen.* 8 Martii 1879 prohibuerit illuminationem ex *gaz*, una cum candelis ex cera super Altari, ob paritatem rationis et sub iisdem circumstantiis censerine potest vetita etiam illuminatio electrica?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, atque audito voto Commissionis Liturgicae, rescribere rata est:

Affirmative, ad tramites decretorum 8 Martii 1879 et 4 Iunii 1895.

Atque ita declaravit et rescripsit. Die 16 Maii 1902.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

✝ D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

LIVERPOLITANA.

R.mus D.nus Episcopus Liverpolitanus Sacrorum Rituum Congregationi humiliter exposuit, R.mis Patribus Abbatibus e Congregatione Anglo-Benedictina haud dudum benigne concessum fuisse privilegium, ut in Ecclesiis propriis usu pontificalium in Missarum solemniis gaudere valeant. Quum autem non plane constet quaenam Ecclesiae tamquam ipsis propriae intelligendae sint, R.mis Episcopis Angliae opportunum visum est, ut Episcopus supradictus, in cuius dioecesi multae existunt Ecclesiae patribus Anglo-Benedictinis addictae, nomine omnium Episcoporum Angliae, dubiorum sequentium solutionem postularet, nimirum:

I. Utrum tamquam Ecclesia propria cuiusvis Patris Abbatis intelligenda sit sola Ecclesia monasterii cui ipse praesit?

II. Utrum cuivis Patri Abbati competat ius pontificalium in omnibus Ecclesiis quibus praesint terni, bini vel singuli patres sub eius iurisdictione constituti, curam vero animarum exercentes? et quatenus affirmative:

III. Utrum ad usum pontificalium talibus in Ecclesiis sub cura Patrum Anglo-Benedictinorum constitutis licite exercendum requiratur consensus Episcopi Ordinarii?

IV. Utrum Patres Abbates in Ecclesiis aliorum regularium cuiusvis Ordinis vel Congrega-

tionis, vel in Ecclesiis saecularium usu pontificalium sine consensu Episcopi Ordinarii gaudere valeant? et quatenus negative.

V. Utrum in talibus Ecclesiis sive regularium sive saecularium usum pontificalium de consensu Episcopi Ordinarii gaudere valeant?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative,* nisi et aliae sint filiales Ecclesiae quibus et ipse praesit, seu illius iurisdictioni subiectae.

Ad II. *Affirmative,* dummodo agatur de Ecclesiis propriis, et detur Decretum N°. 2080, *Fesulana,* 1 Octobris 1701.

Ad III. *Negative,* si agatur de Ecclesiis propriis, uti supra.

Ad IV. Detur Decretum N°. 2923, *Ordinis Monachorum Sancti Basilii,* 18 Decembris 1846 (1).

Ad V. Iam provisum in praecedenti.

Atque ita rescripsit. Die 13 Iunii 1902.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Decreto hic citato, Pius pp. IX potestatem fecit Visitatori generali Ordinis s. Basilii " revocandi Abbates ad observantiam decretorum, praesertim ut non liceat eis pontificalia exercere nisi in propria Ecclesia; et si ex speciali indulto S. Ap. Sedis ex eis quisquam agere possit pontificalia etiam extra propriam Ecclesiam, nullatenus liceat hoc privilegio uti nisi de expresso R.mi Ordinarii consensu. „ Die 18 Dec. 1846. Abbas tamen pontificalia agens in Ecclesia non sua, uti nequit Throno, nec baculo, nec septimo candelabro, sed in Faldistorio sedebit, cum unica Mitra simplici. Indultum enim nuper concessum per decretum 9 Maii 1899, valet tantum pro Episcopis et quidem vere extraneis, non Auxiliaribus etc.

IV.

LITTERAE ENCYCLICAE.

Reverendissime Domine,

Ad fovendum in christiano populo pietatis studium erga divinum Spiritum, Sanctissimus Dominus Noster Leo PP. XIII, die IX Maii an. MDCCCLXXXXVII ad universos Episcopos, uti nosti, Litteras dedit encyclicas *Divinum illud munus*, apostolicae caritatis sapientiaeque plenas.

Plura in ipsis Beatissimus Pater de mysterio Trinitatis augustae, ac praesertim de praesentia et virtute mirifica Spiritus Sancti opportune edocuit: tum omnes e clero, nominatimque concionatores sacros animarumque curatores maiorem in modum hortatus est, ut quae ad Spiritum Sanctum pertinent, diligentius atque uberius christiano populo traderent. Quo magis enim excitetur vigeatque in animis de Ipso fides, eo facilius christiani homines assuescent divinum Paraclitum, *altissimi donum Dei*, et amare ardentius et impensius implorare. — Adventantibus insuper sacrae Pentecostes sollemnibus, Summus ipse Pontifex per easdem Litteras decrevit et mandavit, ut per orbem catholicum universum supplicatio novendialis in omnibus curialibus templis, et si Ordinariis locorum utile videretur, in aliis etiam templis sacrariisve fieret. Plura demum de thesauro Ecclesiae benigne in perpetuum largitus est sacrae indulgentiae munera, etiam per octavam solemnitatis a fidelibus lucranda.

Iamvero Sanctitas Sua vehementer exoptat, ut quae tunc, monendo hortandoque, edixit, ea in

omnium animis, diligenti Cleri opera, et viva insideant, et perennes uberesque ad maiorem divini Spiritus gloriam afferant salutariter fructus. Hanc ipsam ob causam exemplar earumdem Litterarum, iussu eiusdem Beatissimi Patris, ad Te una mitto. — Quoniam vero decursu temporis, ut alicubi accidisse constat, a nonnullis existimatum est, decretum de ea novendiali supplicatione, ad supra dictum tantummodo annum MDCCCLXXXXVII spectasse, magni refert ut sit apprime cognitum, quae in memoratis Litteris sunt praescripta, tum de eadem supplicatione tum de sacrae indulgentiae muneribus, pro singulis in perpetuum annis sancita fuisse. — Quam quidem novendialem supplicationem eo magis Summus Pontifex vult omnibus enixe commendatam, quod ad finem sane praestantissimum, scilicet *ad maturandum christianae unitatis bonum*, de quo tantopere sollicita est Sanctitas Sua, eam ipsam praecipue ordinaverit.

Haec habui quae mandato augusti Pontificis Amplitudini Tuae perscriberem. Ipsa vero Sanctitas Sua spem certam fovet, Episcoporum hac etiam in re navitati et industriae alacritatem Cleri, Deo bene iuvante, responsuram.

Interim Amplitudini Tuae fausta cuncta ex animo adprecor.

Romae, ex Secretaria SS. Rituum Congregationis, die 18 Aprilis 1902.

Amplitudinis Tuae

uti Frater addictissimus

D. Card. FERRATA, S. R. C., *Praef.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., S. R. C., *Secret.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VI.

DE QUIBUSDAM PECULIARIBUS RITIBUS AD COMMUNIONEM IN MISSIS NATALIS DOMINI.

(Decr. 3764 ad XIV et XV).

Cum Sacerdos quidam Missas in Nativitate Domini celebraret apud quandam publicam Monialium Ecclesiam, quod communionem attinet in altera Missa iisdem Monialibus distribuendam, sequenti ratione se gessit post sumptionem Sanguinis. Voluit primo, ut non Missae minister, sed ipsae Moniales confessionem recitarent, elata aliquantulum voce, ut audirentur etiam a fidelibus, quibus et Eucharistiam erat ministraturus: Moniales quippe retro post altare habebant chorum. Postea ad fenestellam chori perrexit, et super illam collocavit pyxidem; conversusque ad Moniales *Misereatur* elata voce recitavit et *Ecce Agnus Dei,* iisque Eucharistia administrata, eam administravit et populo. Inde reversus ad altare, clausaque de more pyxide in tabernaculo, aliam sumpsit pyxidem vacuam, quam paraverat iamque in prima Missa adhibuerat, in eaque digitos abluit, ministro aquam et vinum fundente, dicens interim *Corpus tuum, Domine:* quod iteravit in tertia Missa, triumque Missarum ablutionem sumpsit. Rem demiratus prudens minister, sive quia Celebrans per

prolixum tempus, ob communionem Monialium, e fidelium oculis evanuerat, sive quia novum in ablutione ritum conspexerat, ultima absoluta Missa, plura a Sacerdote petiit, qui secum ea reputans, haec in praesenti Dubia discutienda *proponit:*

1. Quibusnam ritibus communicarent olim fideles, animi et corporis humilitate peculiariter inspecta? Et cuiusnam sit antiquitatis confessio ante communionem, ex parte ministri vel omnium communicantium? Quidque de antiquitate orationis Corpus tuum, Domine, *quam ad ablutionem Sacerdos recitat?*

2. Probandum ne, an reprobandum, ut communicans aut communicantes, non per ministrum, sed per seipsos, recitent confessionem, quam praesens disciplina exigit?

3. Quid iudicandum de ritu celebrantis, sive quod attinet communionem Monialium fideliumque, sive quod attinet ablutionem, ut in casu, vel quomodo se gerere ille debeat, iuxta praecitatum Decretum?

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. HECTORIS FELICI, **Pontif. Semin. Pii alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 23 Aprilis 1902; acta epitome per R.mum Dom.** IOANNEM BAPT. M. MENGHINI, **Apost. Caerem. Magist.**

I. Quibusnam ritibus communicarent olim fideles, animi et corporis humilitate peculiariter inspecta? Et cuiusnam sit antiquitatis confessio ante communionem, ex parte ministri

vel omnium communicantium? Quidque de antiquitate orationis *Corpus tuum, Domine,* quam ad ablutionem Sacerdos recitat?

Quaevis vel circumscripta historiae ecclesiasticae notitia, sufficiens est ad suadendum, cultum divinum, generatim, non semper talem fuisse, qualis nunc apud nos exercetur. Antequam hodiernum assequeretur splendorem, primaevus cultus simplicem, gravem, suavem animo sese ostendit, in Liturgia Apostolorum et Martyrum, inter persecutiones, in catacumbis. Sicuti dogma, ita et cultus in Ecclesia, evolutionem constantem subit, quod exuberantiam potentiamque vitae illius demonstrat, et vim principii immanentis indefectibilis progressus a Christo infusam. Quod dicitur de cultu in genere, specialius dici debet de eucharistico, qui fuit semper centrum et terminus vitae christianae. Eucharisticus ritus tam in Sacramenti confectione, quam in illius administratione (de qua nobis sermo) varias subiit modalitates, temporis decursu. Iam ab initio, convenientibus ad S. Synaxim fidelibus, Mysteriorum confectione completa, post sacram Psalmodiam, salutationem et osculum pacis, materiae sacrae Synaxis praeparationem, praevias in silentio preces, praefationem, et eucharisticam orationem cum gratiarum actione, et angelicum trisagium, oratio succedebat ad Deum sub mystico velamine praesentem, quae doxologia quadam terminabatur. Tunc succedebat dominicalis Oratio devotissime recitata, tanquam Communionis praeparatio opportunissima. Post benedictionem Episcopi, Diaconus populum revocabat ad Synaxim imminentem, dicens: προσεύχωμεν - *attendamus,* et celebrans subiungebat; ἅγια τοῖς ἁγίοις - *sancta sanctis;* populus autem binis acclamationibus respondebat: " Unus sanctus, unus Dominus Iesus Christus in gloriam Dei Patris: benedictus in saecula. Gloria in altissimis Deo et in terra pax: in hominibus bona voluntas. Hosanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus et apparuit nobis:

hosanna in altissimis. „ S. Cyrillus Hierosylomitanus huius meminit formulae, et expresse dicit, recitatam fuisse post *Pater* (*Catech. Mystag., V, 16*). Mos iste adhuc in graeca Ecclesia servatur. Post haec fractio panis ab ipsomet Christo instituta locum obtinebat, de qua, inter alia, testimonium habetur in notissima pictura coemeterii Priscillae, non posteriori saeculi secundi medietate (Marucchi, *Eléments d'Archéologie chrétienne, Vol. 2, pag. 328*). Verum etsi fractio semper in Ecclesia locum habuerit, non semper tamen eodem in momento peracta est, nec eadem ratione: Post specierum mixtionem, quae fractioni subsequens erat, quisque accedebat ad Eucharistiam sumendam, iuxta ordinem et gradum, videlicet primum Episcopus communicabat, exinde Presbyteri, et reliquus Clerus et ascetae, tandem ceteri adstantes, viri et mulieres, quos inter et ordo servabatur, ut prius Diaconissae accederent, tum Virgines et Viduae, postremo reliqui fideles (*Constit. Apost., Lib. VIII, cap. 13*). Textus Constitutionum Apostolicarum supponere sinit, unum Episcopum Eucharistiam distribuere solitum fuisse. Sed non ubique uniformiter res procedebat. S. Iustinus martyr testatur (*Apolog. II*), suo aevo Diaconorum officium fuisse Eucharistiam distribuere. Generatim tamen tempore subsequenti Presbyter seu Episcopus panis speciem tradebat, dum Diaconis committebatur calicis distributio. Et si aliqua de causa Diaconi utramque speciem tradebant, tamen ne Presbytero Diaconus communionem praeberet praeceptum urgebat (*Concil. Nicaen., Can. XVIII*) et ne populo quidem, Sacerdote praesente, nisi huius iussu, aut instante necessitate (*Concil. Arelat. II, Can. XV; Concil. Carthag. IV, Can. 38*).

Quod corporis habitum, signaque exteriora adorationis respicit, quibus primaevi Christiani Eucharistiam assumere consueverunt, generatim dici potest, eos interdum genuflexos, alias stando communicasse. Quoad primum, testimonium superest S. Ioannis Crysostomi, qui (*Homil. 31 in*

Nativ. Chr.) communicantes invitat ad sese prosternendum ante Altare: et generalis quoque praxis flexis genibus orandi diebus stationalibus. Quoad alterum, ex testimoniis comprobatur frequentissimis *(Dion. Alex. — Chrysost. Hom. 20 in Epist. ad Corinth.)*. Hoc in sensu valet vox, quae in vetustis Liturgiis invenitur ὀρθοί - *erecti*. Apud graecos hic mos hodiedum viget. Probabile est et Occidentales hanc tenuisse disciplinam, quam nunc soli Presbyteri servant.

Ex superius dictis patet, fideles antiquitus sub utraque specie communicasse, hoc tamquam certum habet Card. Bona cum aliis communiter; et demonstrare satagens, hoc non esse ex institutione divina, neque a Patribus habitum necessarium, addit: " Extra Ecclesiam vero, et extra Sacrificium, semper et ubique communio sub una specie in usu fuit (*Rerum liturgic., Lib. II, c. XVIII, § 1.* — Cfr. Tertull. *Lib. 2 ad Uxor., c. 5.* — Basil. *Epist. 93 ad Caesar.* — Διδαχὴ τῶν δώδεκα Ἀποστόλων, Cap. IX, etc). „ A communione duarum specierum separatim sumptarum ad mixtam progressum est *(Eucharistia intincta)*, et ab hac ad unicam, nempe sub specie tantummodo panis. Quinto saeculo, teste S. Leone Magno (440-61), vetus servabatur usus. Hic Pontifex in Manichaeos animadvertens, qui superstitiose vinum quod esset fel principis tenebrarum putantes a Calice abstinebant, ait: " Cumque ad tegendam infidelitatem suam (Manichaei) nostris audeant interesse mysteriis, in ita sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant; ore indigno corpus Christi accipiunt; Sanguinem autem redemptionis nostrae haurire omnino declinant: quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis huiusmodi homines et his manifestentur indiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati et prohibiti a Sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur (*Serm. IV, de Quadrages*). „ Et confirmatur ex canone Gelasii Papae (92-96), qui de eadem superstitione loquens, praecipit expliciter, fideles commu-

nicent sub utraque specie. " Comperimus, inquit, quod quidam, sumpta tantummodo Corporis sacri portione, a calice sacri cruoris abstineant: qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione dicuntur obstringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, *quia divisio unius eiusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire* (Apud Gratianum, *De consecrat., dist. 2*). „

Saeculo VII caeptum est species mixtas fidelibus praebere, ope cochlearis, in quo pars habebatur panis consecrati, in Christi Sanguine intincti (Sophronius - † 638 - *Cyri et Iohannis Miracul., XII*); sed ab initio pro infirmis tantum hic mos invaluerat (l. cit.). Transitus ab uno ad alium ritum nondum ante medium saeculum VIII factus fuerat (Cfr. Synod. Trullana, *c. 101*, et Ioannes Damasc.): verum medio saeculo XI iam invaluisse testatur Humbertus a Silva Candida, qui in hunc morem, tamquam reiiciendam Graecorum novitatem, invehit. Sed haec praxis, ab origine graeca, partim et in latinam Ecclesiam introducta est. De ea fit mentio, sed improbatur, in synodo Bragarensi, a. 675 (*c. 2*), et sequentibus saeculis disparuit. Saeculo tamen X, nec non XI et XII reviviscit, praecipue in Anglia. Paschalis Papa II (1099-118) pro communione puerorum admisit, sicuti et pro gravi morbo decumbentibus; en eius verba ex Epistola ad Abbatem Pontium Cluniacensem: " Novimus enim per se panem, per se vinum ab ipso Domino habitum: quem morem sic semper in sancta Ecclesia conservandum docemus atque praecipimus; praeter in parvulis, ac omnino infirmis, qui panem absorbere non possunt (Harduin, *Acta Concil.* VI). „ Verumtamen hoc non est sensu intelligendum (ut putat Bona, *Rer. liturg., lib. II, 18, 3*), quod in casu administrari debuerit solum vinum. Et Synodus Turonensis, usum istum commendat: " Ut veraciter presbyter possit dicere infirmo: Corpus et Sanguis Domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in remissionem peccatorum et vitam aeternam

(Burchard. Worm. et Ivo Carnut.). „ Hae tamen limitationes ostendunt, antiquam praxim nunquam penitus fuisse abolitam, quam tandem Synodus Londinensis (1175, c. 16, absolute vetuit, inquiens : " Intinctum panem aliis Christum praebuisse non legimus, excepto illo tantum discipulo, quem intincta buccella magistri proditorem ostenderit, non quae sacramenti huius institutionem signaret. „

Saeculo tamen XII, communionem sub unica specie panis dari caeptum est. Primum testem habemus Rodulphum Abbatem (1110), qui his versibus Calicem nullimode laicis praebendum dicit :

" Hic et ubi cautela fiat, ne Presbyter aegris,
Aut sanis tribuat laicis de Sanguine Christi,
Nam fundi posset leviter ; simplexque putaret,
Quod non sub specie sit totus Iesus utraque (1). „

Eadem fere aetate similiter se exprimit Card. Robertus Pullus (vid. Sala in adnot. ad Card. Bona). Verumtamen haec testimonia, non probant consuetudinem universalem, quinimo alia plura contrarium evincunt. Evidens documentum praebet Guillelmus de Campellis (apud Mabillonium), † 1121 : " Quod utraque species per se accipitur, eo fit ut memoria Corporis quod in cruce visibiliter pependit, et memoria Sanguinis, qui cum aqua de latere fluxit, arctius teneatur, et quasi praesentetur. Tamen sciendum quod qui alteram speciem accipit, totum Christum accipit. „ Et inferius : " Quod ergo dicitur utramque speciem oportere accipi, haeresis plane est ; et ideo licet in alterutra specie totus sumatur, tamen pro causa praedicta Sacramentum utriusque speciei ab Ecclesia immutabiliter retinetur. „ Eodem in sensu inveniuntur Petrus Lombardus *(Sentent. IV, 11)* et Gratianus, qui canonem refert Gelasii Papae *(De Consecr., dist. II)* ; sed et plurimi alii, inter quos S. Bonaventura et Aquinas, pro

(1) (Bona, *Rer. lit., II, 18, 1*).

communione stant sub unica specie, adeo ut saeculo XIV, communio sub utraque neminem amplius habeat fautorem. Saeculo XV Hussitae rursus invehere satagerunt, sed frustra, cum a Concilio Constantiensi fuerint damnati. Saeculo tandem XVI a Lutero et Calvino defensa fuit, sed contra steterunt decisiones Ss. Concilii Tridentini.

Notatu dignus est usus priorum saeculorum, accipiendi non ore Hostiam sanctam, sed manibus, ut sibimet fideles ori admovere, seu in Ecclesia, seu domi, ac in itineribus valerent. Explicita sunt Patrum testimonia, tum graecorum tum latinorum. Sed placet insigne referre documentum pro Ecclesia occidentali, anno 1839 Augustoduni detectum. Agitur de graeca inscriptione metrica saeculi secundi aut tertii, in qua, memorato fonte divinarum aquarum, quo regenerantur fideles, eisdem fit invitatio, ut dulcem capiant cibum Salvatoris sanctorum, et avide manducent ἰχθύν, qui in eorum manibus ponetur (De Rossi, *Roma sotterranea, vol. 2*):

" Σωτῆρος δ'ἁγίων μελιήδεα λάμβανε βρῶσιν
Ἔσθιε π[ε]ινάων ἰχθὺν ἔχων παλάμαις. "

Sed Cyrillus Hierosolymitanus, ritum pressius describit: " Accedens ad communionem, non expansis manibus vobis accedere, sed sinistram veluti sedem quandam subiicias dexterae, quae tantum regem susceptura est (*Catech. myst., V, 21-22*): et Synodus Trullana (*can. 101*) et Ioannes Damascenus (*De fide orthodoxa, IV, 13*) admonent, communicantem manus componere debere in modum Crucis. Verum mulieres prohibebantur nuda manu Eucharistiam excipere (Synodus Antissiod., *an. 585, c. 35*). Ex Caesario Arelatensi scimus, hac in actione, *mulieres exhibuisse linteamen*, quod unum et idem esse cum *dominicali* praesumitur, quamvis nonnulli putaverint hoc non fuisse nisi capitis tegumentum; ex quarum diversitate sententiarum Guillois opinatus est, hoc capitis tegumentum deservire potuisse et ad Eucharistiam excipiendam; sed fallit

opinio, cum velum capitis nigri coloris esset, et aliud ad Eucharistiam suscipiendam ex lino albi profecto coloris; ex S. Augustino: " Mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum... „ Hic usus tamen in Occidente tantum viguisse dicendus est, nam Synodus Trullana aperte dicit, non esse res inanimatas, aurea receptacula aut alia textilia, manibus praeferendas, quae sunt templum Spiritus Sancti, et imaginem Dei referunt.

Viguit in Oriente mos Eucharistiam in manibus tradendi ad medietatem usque saeculi VIII (S. Ioann. Damasc. *De fide orthodox., IV, 13*), itidem in Occidente (S. Beda, in narratione de obitu monachi cuiusdam, et *Statuta Sancti Bonifatii*, an. 754). Verum vestigia quaedam oralis communionis inveniuntur iam a saeculo usque VI. Sed primum nulli subditum controversiae testimonium, iuxta cl. Funk habetur in Synodo Cordubensi (839), in quo sermo est de Casianis, qui nolebant Eucharistiam sumere, eo quod in ore non autem in manibus ministraretur; et Synodus generalis gallica Rothomagi celebrata (1879) (Harduin, *Acta Concil. VI, 205*) praecipit, ut Presbyter, Diaconus et Subdiaconus " propria manu communicent, nulli autem laico aut foeminae Eucharistiam in manibus ponat, sed tantum in os eius. „ Serius tamen etiam pro praefatis ministris ritus inmutatus fuit.

Diversus fuit quoque modus sumendi SS. Sanguinis. Ab initio videtur mos fuisse quod fideles labia admovissent calici ministeriali a Diacono porrecto, qui vino non consecrato repletus, mixtione sanctificabatur sacri Sanguinis post communionem Cleri residui. Hic ritus viguit Romae usque ad saec. VII (Guillois, *l. cit., p. 248*). Serius usuvenit aurea vel argentea fistula, pugillaris etiam nuncupata. Tertius modus fuit, ut diximus, communio mixtarum specierum.

Varia fuit et formula, sub qua tradebatur S. Corporis Christi communio. A simplici indicatione " Corpus Christi-Calix Christi, „ cui fidelis respondebat " Amen (*Constit. Apost.*

VIII, 13), „ facta est deprecativa, tempore S. Gregorii Magni: " Corpus D. N. I. Ch. conservet animam tuam (Alcuin., *De Offic.*); Caroli Magni aevo in hanc immutata: " Corpus D. N. I. Ch. custodiat te in vitam aeternam (*ibid.*); „ tandem in praesentem modificata: " Corpus D. N. I. Ch. custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen. „

Confessio generalis, ut a Rituali Romano nuncupatur formula extra-sacramentalis accusationis peccatorum, haud satis antiquam originem novit. Le Brun ad saeculum refert XIV, aitque originem duxisse ex consuetudine extra Missam communicandi, quemadmodum fieri solebat pro infirmis Missae adstare impotentibus. Infra Missam auctoritatem fecerunt Carmelitae, Praedicatores aliique mendicantes *Confiteor* recitandi. Iuxta Pontificale Romanum, Diaconi et Subdiaconi noviter ordinati recitare debent ante communionem *Confiteor*, sed Neo-presbyteri Episcopo concelebrantes non dicunt.

Huius confessionis vestigia novimus in antiquis Ecclesiae ritibus. Olim, ante Orationem dominicam, poenitentibus communicaturis manus imponebantur (Optatus Milev., advers. Parmen., 1, 3). S. Augustinus refert, fideles aliquomodo sua peccata confessos fuisse pectoris percussione, ad verba *dimitte nobis debita nostra.*

In graeca Ecclesia mos etiamnum est, ante communionem Diaconum et omnes Eucharistiam suscepturos veniam petere peccatorum. Plura octavi et noni saeculi documenta ostendunt tunc confessionem locum habuisse post Evangelium. In quodam Sacramentario saeculi XI, post Orationem dominicam, locum habet longum *Confiteor*, quod Gregorio Pp. III tribuitur, et his verbis concluditur: " Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis: Sancta cum sanctis, communio Corporis et Sanguinis I. Christi sit iis qui manducant et bibunt in vitam aeternam. „ Sed et aliquando, antiquitus, fieri solebat confessio immediate ante communionem. Ex gr. monachi Cistercienses, saeculo XII, invicem,

ad S. Mensam accessuri, confessionem faciebant, et si unus tantum communicaturus esset Priori vel alii dignori in Choro dicebat.

Oratio *Corpus tuum, Domine,* quae dicitur ad ablutionem Calicis et digitorum, originem duxit ex illa quae habebatur in antiquo missali gothico-gallicano (saec VII, vel VIII), in quo sic legitur " Corpus tuum, Domine, quod accepimus, et calicem tuum quem potavimus haereat in visceribus nostris: praesta, Deus Omnipotens, ut non remaneat macula, ubi pura et sancta intraverunt Sacramenta (apud Card. Tommasi). „ Eadem oratio, sed aucta, legitur in insigni codice Ecclesiae S. Gratiani Turonensis, anni circiter 800, a Martène edito. Iuxta Card. Bona et Le Brun: " Corpus tuum, quod sumpsi, Domine, Deus meus Iesu Christe, et Sanguis tuus quem potatus sum, adhaereat, obsecro, in visceribus meis, ut non sit mihi in iudicium, et ad damnationem, sed sit mihi in refugium et ad salutem et animae corporis, et proficiat mihi peccatori, et his omnibus, pro quibus tibi obtuli, Salvator mundi, Rex gloriae, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis... „ Haec oratio dicitur inveniri iam sub initio saeculi VIII.

II. Probandum ne, an reprobandum, ut communicans aut communicantes, non per ministrum, sed per seipsos, recitent confessionem, quam praesens disciplina exigit?

Cum respondendum sit de praesenti disciplina, satis est referre verba *Ritualis Romani* circa recitationem formulae confessionis communioni praemittendae. Quidquid enim sit de antiquitate (quod superius iam vidimus), tempore labente, imminuto forte fidei vigore, et addita difficultate, vulgari multipliciter immutato eloquio, lingua liturgica loquendi, ad unicum ministrum demandata est totius populi repraesentatio tam in hoc, quam in aliis liturgicis actibus, ita ut nunc sit lex, ut *Minister, nomine populi,* faciat *confessionem generalem, dicens:* " Confiteor Deo etc. „ (Rit. Rom., *Ordo admin. S. Commun.*). Quod si agitur de communione infir-

mis administranda, aliter se res habet et edicitur: " facta de more confessione generali *sive ab infirmo, sive eius nomine* ab alio. „ Placet nonnullis, praecipue in Gallia, morem per se confessionem ante communionem recitandi provehere, sed nescimus qua auctoritate. Lex igitur vigens servetur et comunicans secreto eliciat humilitatis et doloris actus. Tamquam exceptio habenda est dispositio *Pontificalis Romani (De ordinatione Presbyteri),* ut *singuli ex Diaconis et Subdiaconis tantum* dicant *Confiteor etc.,* et si officium fiat in cantu, *unus de noviter ordinatis* illud cantet.

Quod idem Sacerdotem communionem praebentem respicit, tunc tantum ipse recitare poterit *Confiteor* nomine communicantium, cum deficit omnino idoneus minister (S. R. C., *De Zacathecas,* **3488**-*5775,* ad III, d. 31 Martii 1879.

III. Quid iudicandum de ritu Celebrantis, sive quod attinet communionem Monialium fideliumque, sive quod attinet ablutionem, ut in casu, vel quomodo se gerere ille debeat, iuxta praecitatum Decretum?

Satis erit pro responsione ad primam huius postremae quaestionis, partem citatum ab initio Decretum ex integro referre: " **3764.** *Lincien.* (12 Februar. 1892) R.mus Dominus Franciscus Maria Doppelbauer. Ep. Lincien. S. R. C. sequentia dubia pro opportuna resolutione humillime subiecit... Dub. XIV. An pro distribuenda SS. Communione Monialibus, quae habent Chorum retro post Altare, debeat aut possit Sacerdos, post recitatum a Ministro vel ab ipsis Monialibus " Confiteor „ deponere ciborium ad fenestellam Chori, et ibi ad Moniales conversus dicere " Misereatur „ et " Ecce agnus Dei? „ Vel potius debeat haec omnia dicere ad Altare versus populum de more, et dein per medium Altaris descendere (quamvis fenestella sit in parte Epistolae) ad Moniales sancto Christi Corpore reficiendas? — Dubium XV. Duplex viget praxis pro ablutione digitorum in prima et secunda Missa, die sancto Natalis Domini. Alii nempe in duabus his Missis di-

gitos abluunt in vase mundo et vacuo, Ministro vinum et aquam de more infundente, interim dicendo: " Corpus tuum Domine etc., „ quam ablutionem sumunt in tertia Missa una cum ultima ablutione. Alii vero digitos abluunt in vasculo cum aqua prius parato, ut fit post distributionem SS. Communionis; quam aquam vel sumunt cum ultima ablutione in tertia Missa, vel in piscinam sacrarii effundendam relinquunt. Quaeritur quaenam ex his praxibus sit, utpote Rubricis conformior, sequenda? Sacra porro Ritum Congregatio rescribendum censuit: " Ad XIV. Affirmative ad primam partem, quando scilicet Sacerdos immediate ante vel post Missam, sacris paramentis indutus, vel omnino extra Missam, cum superpelliceo et stola, sacrum Communionem distribuit. Negative ad secundum. Ad XV. Secundus modus purificationis est magis expeditus, et conformis est praxi universali. „ Sed penitius dirimitur quaestio Decreto **3800**, in *Firmana* (13 Iunii 1893); ad dubium enim ab E.mo Card. Hamilcare Malagola propositum: An " dispositio Decreti *Lincien.* intelligenda veniat *absolute*, an tantum *sub quibusdam limitibus?* „ S. R. C. respondit: " Negative ad primum. Affirmative ad 2.um; et ad mentem. Mens autem est ut Decretum in Lincien., ad dubium XIV, intelligi debeat de Communione ministranda tantum extra celebrationem Missae a Sacerdote cum superpelliceo et stola, vel etiam sacris paramentis induto, si Eucharistia ministratur ante vel post Missam; sed solis Monialibus, et quando Chorus vel retro post Altare situs est, vel ab Altari distat. Iis tantum in casibus, iisque rerum et locorum adiunctis sive precedentes sive sequentes preces in rituali Romano praescriptae, ritusque reliqui ad fenestellam Monialium locum habeant; in aliis vero quibuscumque casibus servetur Rituale Romanum: ut omnes praescripti ritus et Orationes, semper ab Altari persolvantur. „

At voluit Sacerdos, in casu, ut non Missae minister, sed ipsae Moniales confessionem recitarent. Male se gessit,

cum Decretum cit., **3800**, in casu communionis infra Missam, *in aliis quibuscumque casibus*, praecipiat ut minister confessionem faciat. In casu communionis extra Missam, etiam immediate ante aut immediate post, cum ss. Missae paramentis (uti declaratum fuit in publicatione Decreti in nova authentica collectione) *sed solis Monialibus et quando chorus vel retro post Altare situs est, vel distat distribuendae* (D. cit.), *poterant* Moniales confessionem recitare, ut exponitur in facti specie Decreti citati, nec in responso contradicitur. *Misereatur etc.* dixit ad fenestellam, sed perperam, cum ex Decreto cit. omnia ad Altare dicere et agere debuisset infra Missam, ut in casu. Praecedentiam tamen Monialibus dare poterat super populum, non tamen, si adfuissent, super Clericos, nec super Missae ministrum, etiamsi iste fuerit laicus, ex Decreto **1074**, d. d. 13 Iulii 1658, in una *Galliarum*.

Nunc videamus quid iudicandum de ritu ablutionis, prout in casu. Ablutio digitorum in Pyxide novitatem sapit, nec laudabilem. Rubrica Missalis *(in Vigil. Nativ. Dom.)* ait: " abluat digitos in aliquo vase mundo, " per quae verba intelligi nequit vas sacratum, ut patet. Novum est et vinum adhibere in ablutione hac, sed nullimode prohibetur. Laudatur tamen *magis expeditus* modus et *conformis praxi universali*, ex Decreto n. **3764** in *Lincien.* ad 15, digitos abluendi in vase *cum aqua prius parato*. Item, quod minister aquam et vinum fundat, damnari nequit (D. cit.). Quod autem Oratio *Corpus tuum* dicatur in abluendis digitis, ut alias, conforme est Instrutioni a S. Rit. Cong.ne data pro Sacerdote bis eadem die celebraturo, die 12 Apr. 1857, et renovata Decreto n. **3068**, *Plurium Dioecesium*, 11 Mart. 1858. Oratio *Quod ore* dicenda est iunctis manibus, Calice palla cooperto *(Instr. cit.)*. In tertia Missa tandem ablutionem praecedentium sumpsit: bene potuit, uti constat ex praefata *Instructione*, et ex Decretis n. **3764**, et **3798**, ad 5, *Romana*, d. 9 Maii 1893.

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI.

(Continuatio n. 6, p. 377)

(372).... *nisi Titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat.* Hic loquitur Rubrica de *privilegio,* quia, cum stricte observanda sit lex octavam non transferendi, alicubi privilegium translationis concessum est, ut Monachis S. Benedicti *(Meratus sect. 3, c. 8),* et Fratribus s. Francisci a Paula a Clemente VII *(Guietus loco citato),* pro octava respective eorum fundatorum. Cum enim occurrant diebus 21 Martii, et 2 Aprilis, frequentissime et fere quoque anno impediuntur ab hebdomadibus maiori et paschali, ideoque ad nihilum valeret privilegium octavae, nisi et translatio huiusmodi eis indulgeretur, licet agatur de accidentali impedimento. Videntur ergo haec verba Rubricae intelligenda esse de *privilegio* concedendo festis per accidens impeditis, quia ut notat Guietus *(l. 4, c. 12, q. 5),* non ex privilegio, sed ex consuetudine pluribus in locis iam celebrabatur vel Titulus, vel Patronus cum octava perpetuo translata (1).

(1) Guietus *(ibid)* dicit etiam: "Observa item non immerito additum hic *nisi Titularis Ecclesiae privilegio* etc. Cum enim, uti ex Baronio alibi retulimus, non quaelibet Ecclesia Titularis proprie appelletur, sed insigniores dumtaxat, puta Cathedrales aliaeque iurisdictionem quasi episcopalem habentes, nonnisi forte de privilegio iis concesso clausola haec intelligenda est; raro enim aliis inferioribus Ecclesiis eiusmodi privilegia conceduntur."

Sed inanis et inverosimilis interpretatio haec est; quia, quidquid sit de vocabulo *Titularis,* in sensu insignioris, vel nobilioris Ecclesiae iuxta Baronium, certo certius in Rubrica nullum habet alium sensum, nisi de sancto Titulari, cui Ecclesia dicata est. Abs re ergo clarissimus Guietus huius loci Rubricarum non parum obscuri, interpretationem suscipiens, ad sensum Baronii confugit.

Hoc fortasse usque modo nullus attigit ex scriptoribus; neque Gavantus, Guietus, Meratus, Cavalerius, De Herdt, A Carpo, ut de novissimis sileamus; nemo enim suspicatus est hanc Rubricam: nisi *Titularis ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat*, accipiendam esse quasi diceret: si festum habens octavam aliquando a maiori officio impediatur, *illo anno celebratur sine octava,* nisi alicubi *ex privilegio* aliter fieri concessum sit.

Hic est verus et unicus sensus huius loci Rubricarum, nec alius esse potest, si contextus diligenter perpendatur. Siquidem, sub hac rubrica non cadit impedimentum *perpetuum* sed tantum *accidentale,* dicit enim *illo anno* celebratur sine octava; et sane, quia in casu impedimenti perpetui Titulus Ecclesiae ex alia Rubrica *(Tit. VII. n. 1)* quacumque die celebretur, natalitia vel assignata, ius habet ad octavam, quod illi non aufert haec Rubrica neque implicite neque explicite.

Parma, ex. gr. Patronum suum principalem colit a saeculis s. Hilarium Ep. et Doctorem, cuius natalis dies est XIII Ianuarii. Antiquitus, teste P. Bordono *(De episcopis s. Parmensis ecclesiae p. 12)* ea die sua celebrabatur; at, post Breviarii reformationem a S. Pio V peractam, cum dies octava Epiphaniae, in qua recolitur S. Baptisma Domini nostri, tali solemnitate ubique celebranda sit, ut excludat quoque duplicia primae classis, in crastino cum feriatione agitur ac proinde octava eius die XXI. Quod factum est, non *ex privilegio,* sed ex natura rei in obsequium Rubricae, quae statuit festum Patroni principalis cum octava celebrari.

Item Placentiae, cuius patronus s. Antoninus celebratur die IV Iulii, in ecclesia s. Uldarico dicata, cuius natale eadem die occurrit, festum Titularis a saeculis die V recolitur, cum eius octava die XI.

Quapropter, procul dubio nobis videtur, quod non tantum Titularis Ecclesiae, vel Dedicatio, vel loci Patronus, sed quodcumque aliud festum, licet secundae classis, habens octavam, et *perpetuo* sua die impeditum, celebrari debet in die sibi assignata cum integra sua octava.

Quod hic dicimus ratiocinando, liquido profluit ex spiritu tam Rubricarum quam citati S. R. C. decreti n. 4034, alioquin, quid valeret, ut diximus, ius ad octavam si in facto numquam eo uti posset festum perpetuo sua die impeditum?

(373) *Festa tamen duplicia minora.... si impediantur non transferuntur... etc.* Hoc paragraphum in fine huius primae Rubricae Tituli X adiectum fuit in prima emendatione Rubricarum peracta post Breve *Nullo unquam* Ss. D. N. Leonis XIII d. d. 28 Iulii 1882.

Huius brevis pontificii promulgatio tot et tales intulit variationes in Rubricis, quales post Breviarii Romani emendationem Clementis et Urbani VIII, nullus alius pontifex induxerat. Probe ergo in fronte Breviarii typicae editionis legitur: *Breviarium Romanum ex decreto S. Conc. Trid. restitutum, S. Pii V Pont max. iussu editum, Clementis VIII, Urbani VIII et Leonis XIII auctoritate recognitum* (1).

Opportunum ergo ducimus Breve ipsum hic referre, ut melius appareant novae Rubricarum variationes, et earum causae.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Nullo unquam tempore Romani Pontifices Antecessores Nostri praetermiserunt Sanctorum virorum, qui doctrina, virtute, rerum gestarum praestantia Catholicam Ecclesiam, dum in terris agerent, illustrarunt, memoriam in animis Christifidelium, eorum praesertim, quorum est caeteros exemplo anteire, quo altius possent imprimere. Id autem hac inter alias ratione consequuti sunt, eorumdem scilicet Sanctorum festa sive in Universali, sive in Particularibus Ecclesiis in-

(1) Ad hoc porro, rectius in principio Breviarii, post Bullam Urbani VIII, hoc Breve *Nullo unquam* edi poterat, ut reapse intelligeretur quid egerit Leo XIII pro recognitione Breviarii.

dulgendo, ac vitae et rerum gestarum historiam Breviariis inserendo, ut qui divinas preces recitare tenentur, ab iis virtutum illorum factorumque memoria cum laude quotannis repetatur.

Postea dicit:

1°. Praedecessorem suum Piun. [illegible], exceptis votis Patrum Concilii Vaticani, nonnulla nova officia inserenda Breviario curasse.

2°. Se idem pro aliis officiis egisse.

3°. Peculiarem congregationem deputasse, quae expenderet qua ratione in Calendarium nova hodie et in posterum officia inseri possent.

4°. Mandat ut inscribantur in calendario universalis Ecclesiae officia Ss. Cyrilli Alex., Cyrilli Hierosol., Iustini Philosophi, Augustini Cantuar., et Iosaphat Polocensis.

5°. Praecipit alia nova officia a Clero urbis Romae celebranda.

Denique subdit:

Quo vero in utroque Kalendario tum Universali tum Cleri Romani habeantur sedes liberae ad nova Officia introducenda, eadem Auctoritate Nostra volumus ac praecipimus, ut Rubrica Generalis Breviarii Romani tit. X de Translatione Festorum hac ratione mutetur; videlicet: "FESTA DUPLICIA MINORA (EXCEPTIS ILLIS SANCTORUM ECCLESIAE DOCTORUM) ET FESTA SEMIDUPLICIA, SI OCCURSU DOMINICAE VEL MAIORIS FESTI SEU OFFICII QUOMODOCUMQUE IMPEDIANTUR, NON TRANSFERUNTUR, SED IPSO DIE QUO CADUNT, DE EIS FIT IN UTRISQUE VESPERIS ET LAUDIBUS COMMEMORATIO, CUM NONA LECTIONE HISTORICA, SIVE UNA EX DUABUS AUT TRIBUS, SI TAMEN HAEC EO DIE FIERI POSSINT; SECUS HUIUSMODI FESTA DUPLICIA ET SEMIDUPLICIA EO ANNO PENITUS OMITTUNTUR, UT DE SIMPLICI CAUTUM EST IN RUBRIC. TIT. IX NUM. X, TIT. X NUM. VIII: „ postremo ut praesentes litterae Apostolicae in novis editionibus Breviarii ad calcem Rubricae interim apponatur, donec accurata Rubricae ipsius correctio per Sacrorum Rituum Congregationem perficiatur. Haec praecipimus et mandamus, non obstantibus Apostolicis ac in universalibus provincia-

libusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII Iulii MDCCCLXXXII. Pontificatus Nostri Anno quinto.

TH. CARD. MERTEL.

Itaque tota ratio variationum sita est illis in verbis huius Brevis, quae grandiori charactere leguntur.

..... *exceptis illis Doctorum Ecclesiae.* Haec fuit voluntas Pontificis, ut de duplicibus minoribus translatio abrogaretur, sed Doctorum ius translationis servaretur, ut clerus gloriosa gesta eorum sub oculis semper haberet. Similiter ex S. R. C. decreto generali 5 Iulii 1883, n. 3581, ne nonnulla alia duplicia minora iacturam aliquam paterentur, elevata sunt ad ritum duplicem maiorem, nempe festa: *Ss. Angelorum, Commemoratio S. Pauli Ap., S. Benedicti Ab., S. Dominici et S. Francisci Assisiensis Confessorum;* et recte, quia festa Angelorum, et Commemorationis S. Pauli, pro eorum dignitate personali, unica erant in Breviario ritu duplici minori inscripta; quoad vero festa Ss. Benedicti, Dominici et Francisci, cum hi fundatores sint trium ordinum principalium, et suum nomen in Litaniis Sanctorum iam antea haberent, opportune ad maiorem ritum elevata sunt, ut ius translationis non amitterent. Eamdem ab causam Dedicationes quoque Basilicarum SS. Salvatoris et Ss. Apostolorum Petri et Pauli ritum duplicem maiorem obtinuernnt ex alio S. R. C. decreto 27 Augusti 1893 n. 3810.

..... *si occursu Dominicae* ..... Hoc valet pro duplicibus quae incidunt in Dominicas maiores I aut II classis, quia si incidant in Dominicas minores non impediuntur.

(374)..... *vel maioris festi seu officii*... Primus locus hic est, quo Rubricae distinguunt inter *festum* et *officium*, antea enim unum pro alio usurpabatur; bene ergo in hac nova additione huiusmodi distinctio invecta est.

(375)..... *quomodocumque impediantur, non transferuntur.* Quid sit impedimentum, et quid translatio iam supra fuse diximus.

(376)..... *sed ipso die, quo cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus commemoratio.* Cum duplex habeat primas et secundas Vesperas, in utrisque commemorari debet, sicut Dominica, ut diximus in nota 305.

(377)..... *et legitur nona lectio historica ad Matutinum.* Sicut fit de Dominica impedita, et de Simplici; desiderat enim sancta mater Ecclesia ut de Sancto, cuius officium impeditur, sacra historia ad aedificationem recitantium non deseratur. Infra tamen octavam Corporis Christi, ubi celebratur ad instar octavae Epiphaniae, de duplici simplificato non legitur IX lectio. Vide notam 335.

Item omittitur IX lectio historica, quando legenda sit alia vel de Dominica, vel de feria, aut quando dicendum sit IX Responsorium, omisso *Te Deum*, ut dicetur infra Titulo XXVI n. 3. et declaravimus in nota 334.

(378).... *si tamen eo die fieri possint*... Nempe fit commemoratio si licet, nam in duplicibus primae classis id nefas est ut vidimus.

(379) *Secus huiusmodi festa duplicia minora eo anno penitus omittuntur ut in praecedenti Rubrica dictum est n. 7 et 10.* Eo anno, ergo agitur, ut diximus, de impedimento accidentali.

(380)... *et infra de simplici dicetur n. 8.* In hoc loco citato legimus: *Festum simplex numquam transfertur.... si venerit in illis diebus in quibus de simplici nulla fit commemoratio non fit de eo amplius.* Haec regula nunc applicatur duplicibus minoribus et semiduplicibus quando occurrunt in festis mobilibus primae classis. Cum hac tamen distinctione, quod festum simplex omittitur tam in impedimento accidentali quam in perpetuo, ut fit ex. gr. in ecclesiis S. Ia-

cobo Apostolo dicatis, in quibus numquam agitur commemoratio S. Christophori.

(381) *Iisdem comprehenduntur regulis alia festa duplicia quorum translationi in toto anni decursu locus non superest.* Igitur festa Doctorum Ecclesiae, et duplicia maiora, si impediantur, et nulla habeatur dies libera, de iis fit commemoratio et legitur IX lectio ut supra, in sua die. Quod si occurrant in aliquo festo duplici primae classis, tunc eo anno et ipsa penitus omittuntur, quia ut supra vidimus in nota 308, ad Tit. IX n. 7, in *omnibus duplicibus primae classis* nulla fit commemoratio nisi occurrentis Dominicae aut feriae maioris, aut etiam diei octavae, aut diei infra aliquam octavam privilegiatam, de qua vide quae disseruimus in nota 662. Quod si agatur de Duplicibus 2. classis die sua impeditis, quibus locus non superest ut transferantur, S. R. C. generale decretum promulgavit die 2 Decembris 1891, n. 3756, cuius dispositiones hoc loco opportune introduci poterant. Illud evulgabimus cum notis elucidantibus paulo inferius.

(382) *Festa tamen duplicia minora quamquam non sint Doctoris Ecclesiae, si quotannis a digniori officio impediantur, reponuntur in prima die libera tamquam in sede propria perpetuo recolenda.* Integra haec Rubrica adiecta fuit in quarta Rubricarum emendatione, per speciale S. R. C. decretum d. d. 11 Decembris 1897. Cum enim, ut supra innuimus, ex abrogatione translationis duplicium minorum, dubitare quis posset, maxime ob dispositionem reformatae Tabellae occurrentiae, prout videbimus, an eorum quoque *perpetua* repositio sublata fuisset, necesse erat ut omnis quaestio e medio prorsus tolleretur; quod factum est cum introductione huius §. in Rubricis. Duplicia ergo minora, quae quotannis impediuntur, in alia die reponuntur perpetuo celebranda tamquam in propria sede, sive sit dies assignata, sive sit dies quasi natalitia, ut superius explicavimus.

(*Continuabitur*) Doctor Petrus Piacenza.

INSTRUCTIO CLEMENTINA

PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM

LATINE REDDITA

NOVISSIMIS APOST. SEDIS DECRETIS AUCTA

BREVIQUE COMMENTARIO ILLUSTRATA

(*Continuatio.* V. num. 6, pag. 378-381)

Ex consuetudine, quae obtinuit in Basilicis Patriarchalibus et in aliis Urbis Ecclesiis, Canonicis, Beneficiaris, etc., licebit adorationem peragere in habitu chorali, et tunc profecto sine Stola.

An autem sit haec induenda nec ne supra superpelliceum ab adoratoribus Sacerdotibus aut Diaconis, tacet Instructio; ex hoc tamen silentio inferri nequit eam absolute prohiberi. Usus potissimum quid agendum docebit, nec non peculiaria Dioecesium Statuta. Romae Stola est in usu, sit unus tantum aut plures adorantes. Nec valet opponere Stolam adhibendam esse tantum in actuali ministerio, namque adoratio SS.mi, in casu, est quoddam ministerii genus, plures admittens eodem una simul fungentes; tunc quippe unusquisque sua legatione apud Deum fungitur, et quemadmodum nihil impedit quominus in eadem Ecclesia plures simul Missae celebrentur, aut in sacra Ordinatione plures simul concelebrent, ita incongruum non videtur quod officium istiusmodi a pluribus simul habitu ministeriali indutis adimpleatur.

Videtur quinimo S. R. C. Decretum **2709** (supr. cit.), Stolam admittere; ad dubium enim: " An consuetudo servari queat, ex qua dum SS.mum Eucharistiae Sacramentum publicae venerationi expositum est, continuo duo Clerici... Diaconi autem et Sacerdotes etiam Stolam albam habentes...

assistunt, „ responsum fuit: " Affirmative, iuxta Instructionem Clementi Pp. XI. „ Haec porro verba potius in favorem stant usus Stolae, non enim Instructionis silentium in sensu negativo accipiendum est, vox nimirum *iuxta* significat, quantum sonat Instructio, nunc autem de hac re tacet omnino, ergo saltem contraria non est; at Decretum generaliter affirmat, consuetudinem servari posse, ergo sensus est: cum Instructio Clementina in casu non contradicat, consuetudo servari potest, etc.

Nonnulli contrarium deducunt, ex eo quod Instructio § XXXII, concionantem praecipit esse sine Stola; nos tamen animadvertimus, morem non esse Romae cum Stola concionandi, nisi inter Parochos in propria Paroecia; haec igitur dispositio romanam praxim sartam tectam peculiaribus de causis servandam praecipit, et nihil amplius indicat, stat ergo quod diximus.

(26) Scamnum, *banco*. est quaedam sedis species absque postergali et gradu. quae anteponenda hic dicitur ad commodum adorantibus, ut sive libros super eam locare valeant, sive branchiis illis decenter possint inniti. Viderentur, ex huius dispositionis spiritu, excludenda esse pulvinaria, tam ad genua quam ad branchia, cum ratione maioris orantium humilitatis, tum distinctionis inter maiores hierarchicos gradus affirmandae; verum non ita Romae interpretata est sanctio, et in Ecclesiis fere omnibus pulvinaria, saltem ad genua, supponuntur; hic enim agitur de prolixiori oratione facienda, est ergo debilitati humanae consulendum; ceterum non videntur Decreta, pulvinaria inhibentia, ad hunc casum esse extendenda.

Haud ita dicendum de genuflexoriis, quae nominatim excluduntur. Genuflexorio uti in Ecclesia ad orandum specialis magnatum praerogativa est, praecipue si strato, seu tapete et pulvinaribus instruatur. Quaesitum fuit a S. R. C.:

" *Dubiorum...* 10: An permittenda sint in Urbe genuflexoria cum stratis et pulvinis in Ecclesiis pro personis cuiuslibet conditionis; vel potius reprobanda, praeterquam Regali vel Cardinalitia dignitate fulgentibus? „ Et die 17 Sept. 1822, responsum fuit: " Negative ad primam partem: Affirmative ad secundam (**2621**-*4590*). „ Hoc autem responsum innititur S. C. Caeremonialis Decretis, 30 Maii 1701, et 11 Aug. 1705.

Insuper, ex Caeremonialis Episcoporum dispositione, genuflexorium panno coopertum, appositis pulvinaribus superius et inferius, Episcopo ordinario debetur (*Lib I, c. 12, n. 8*). Unde concludendum est, genuflexorio, in casu, nullimode utendum.

Cum dicitur *tapeto pannove*, excluditur profecto sericum textile, quod solis E.mis D.nis Cardinalibus convenit (*loc. cit.*). Ita pariter pulvinaria, si quae adhibeatur, corea aut lanea erunt (Cf. D. **295**-*451*, 24 Mart. 1612 in *Tudertina;* et **2016**-*3500*, 22 Novembr. 1698, in *Herbipolen.*). Color rubeus, etsi proprius sit Cardinalium (*loc. cit.*), hic admittitur tanquam ornamentum Altari potius, quam personae conveniens; et quamvis probetur alius quicumque color et decens qualitas, tamen cavendum est, ne color adhibeatur lugubris, sicut esset et violaceus, et ut qualitas sit serico inferior, ut diximus.

Prope infimum Altaris gradum, intellige tam ad excludendam nimiam ab Altari distantiam, quam ad indicandum ne super suppedaneo aut gradibus scamnum collocetur; nisi forte loci angustia aliter suadeat.

(27) Confraternitates laicorum ideo alicui adscribuntur Ecclesiis, ut Clero adiumento sint, quatenus conveniat cum eorum statu, in iis quae divinum cultum respiciunt. Potissimum autem convenit ut Confraternitas instituta inveniatur a SS.mo Sacramento nuncupata, praesertim in parochialibus et Collegiatis Ecclesiis, ut praesto sint in Processionibus, in delatione S. Viatici et in adoratione SS.mi, iuxta

normas ab Ecclesia statutas. Vult romana Instructio, ut confratres *bini saltem* assistant in Oratione XL horarum, supponuntur quippe numero sufficientes ad vices continuo tenendas; sin minus, ut singuli assistant; dum dicitur *pariter*, intelligi debet, si fieri potest, etiam per noctem Cfr. *Praenotanda-Adoratio nocturna*, et quae superius diximus n. (25).

(28) Quatenus scamnum Ecclesiasticorum sit panno rubro coopertum, pro confratribus cooperiatur viridis, sin autem illud viridi contegitur, istud alterius minus nobilis instruatur coloris; item dicendum et de panni qualitate. *Extra Presbyterium, atque a dictis Ecclesiasticis distantes;* videlicet, nisi distinctum habeatur Presbyterium, non videantur confratres Altari adstantes, et Clericis aequiparati; ideoque, competentem servent distantiam, ut coetus et ex loco, distinguatur.

Sed quaeri posset, curnam tanta severitate procedi debeat cum Confraternitatum sodalibus, quum ipsae feminae, estò quod sint Virgines Deo sacratae, infra Presbyterii septa passim orantes videantur? Respondemus: qui legem fecit, illi derogare potuit: hoc autem factum est favore nonnullarum Communitatum feminarum, quae ex instituto adorationi SS.mi incumbunt, prout lex, favore pariter monialium, relaxata est, circa curam Altaris habendam, extra divina officia, et sacrae supellectilis contactum. Et quod casus sint particulares, de quibus quaestio, ex eo deducitur, praeter quam ex aliis considerationibus, quod die 23 Maii 1897, ab E.mo Cardinali Urbis Vicario, declaratum fuit: " propter eandem rationem (si nimis difficile sit habere per vices alios adoratores), in Ecclesiis Religiosarum, binae Sorores, vicibus alternis adorationi incumbere valeant, *extra tamen cancellos Presbyterii.* „ Si igitur Moniales adorantes adhibeantur, regulariter, non intra, sed extra Presbyterium maneant, sicut et laici.

(29) Orent confratres, et ipsi (potiori ex ratione) genuflexi, sed *submissa voce,* aut etiam mentaliter, non alternatim, quia difficiliter, imo fere impossibiliter submissa id praestari potest voce. Haec tamen intelligantur dicta de tempore quo apertae manent Ecclesiae portae, cum de nocte deficiat ratio, ac ideo consequens sanctio; et reipsa Romae alternis noctu oratio fit, et elata voce meditationes alieve preces proponuntur ab aliquo.

Cum huius dispositionis ratio sit: *ne ceteris distractionem afferant,* quaeri hic potest: utrum vetita sit hoc tempore publica Horarum canonicalium aut aliorum precum recitatio? Quoad Altare Expositionis respondere debemus affirmative, si enim, iuxta § XII, nulla alia Missa celebrari debet in Expositionis Altari, nisi solemnes tantum, quae pro Expositione et pro Repositione celebrantur, et expressius in § XIV Missa conventualis prohibetur, ita a pari prohibita censenda sunt alia divina Officia, et praesertim functiones haud stricte liturgicae. Quod certum omnino retineri debet pro Horis canonicis; cum enim Missa conventualis potior sit pars divini Officii (Cf. Bened. XIV), hoc haberetur inconveniens, quod horae in uno Altari (Expositionis), Missa autem in alio celebrandae essent. Consonat doctrina iam a S. Carolo tradita: " Nelle Chiese collegiate secolari e regolari si potranno dire le solite ore canoniche e Messa cantata, ma in luogo della Chiesa più lontano che si possa, dall'Altare maggiore.... Il che si faccia in ora di minor frequenza di popolo. „ Et ratio semper eadem est; ne adstantibus *distractio afferatur.* Sed et aliae peculiares functiones, eadem instante ratione, tamquam vetitae ibi et tunc temporis sunt habendae; quod adeo verum est, ut, sic lege iubente, ne functiones quidem cum Missa connexae fieri queant in Altari Expositionis, esto quod inibi *ex praecepto* Missa celebrari debeat. Ita decretum est a S. R. C. in una *Dubiorum,* d. 17 Sept. 1822, n. **2621**-*4590* ad 8: " Ante Missam celebrandam Dominica in Ramis, pro repositione San-

ctissimi Sacramenti, expleta Oratione Quadraginta Horaram, si fieri debeat, vel deceat ut fiat, benedictio Palmarum, haec facienda erit in alio Sacello laterali, quo magis fert Ecclesiae structura, distante ab Altari maximo, in quo SS.mum Sacramentum espositum est, servatis omnibus caeremoniis in Missali praescriptis, sed absque Processione. „ Quoad cetera Altaria, die 8 Maii 1898 peculiaria ab E.mo Cardinali Urbis Vicario data est instructio, qua vetatur " quaecumque functio et pium exercitium, prout esset: publica S. Rosarii recitatio, *Officii divini* (quod est intelligendum in Ecclesiis, quae ad illud canonice non adiguntur, et in istis quoque, ut superius diximus, in altari Expositionis), aut B. Virginis, aliaque similia; functiones in honorem SS. Cordium Iesu et Mariae, Sanctorum, etc., quae transferri debent ad aliam diem post repositionem XL Horarum. „

(*Continuabitur*). I. B. M. c. M.

CONSULTATIONES LITURGICAE

I.

DE FESTO SS. CORDIS IESU UBI CELEBRATUR CUM OCTAVA.

UTRUM DIES OCTAVA SECUMDARIA CEDAT DUPLICI MINORI PRIMARIO.

Dubium.

Apud Patres S. I. celebratur festum Sacr. Cordis Iesu sub ritu 1. classis cum octava. Cum autem hoc festum inter secundaria recensitum fuerit, dies quoque eius octava secundaria est. Hinc, quando occurrit huiusmodi dies octava cum alio festo duplici primario, nonne huius officium celebrandum erit?

Solutio.

Ad solutionem huius quaestionis sic proceditur:

Videtur quod in occurrentia diei octavae festi secundarii, et festi duplicis minoris primarii, huius officium recitari debeat cum commemoratione diei octavae: 1. Quia octava sequitur festum suum, sicut accessorium sequitur principale. Atqui festum 1. classis secundarium cedit alii festo eiusdem classis primario; ergo...; 2. **Praeterea** reformata Rubrica Breviarii (*Tit. X, n. 6*) habet: *Si duo vel plura festa simul eodem die veniant... in paritate ritus fiat de primario prae secundario*, ergo...; 3. **Praeterea** si de die octava in casu agendum esset officium, cum commemoratione festi duplicis primarii, hoc exurgeret inconveniens, quod licet de festo secundario, habente octavam, actum iam sit officium in die festo ipso, et infra octavam saltem commemoratio, fieret quoque officium in die octava, cum iactura totius officii festi duplicis primarii, ergo...

Sed contra est quod decernit Rubrica Generalis Breviarii (*Tit. X, n. 2*): *Si in die octava alicuius festi habentis octavam, occurrat aliquod festum duplex... si non fuerit ex praedictis* (1. vel 2. classis), *fiat de octava et festum transferatur, aut de eo fiat commemoratio.* Ex qua Rubricae dispositione haec regula circa occurrentiam plurium officiorum exurgit: Quando eadem die occurrunt plura officia, sequens ordo observandus est: 1. de duplici I. classis; 2. de duplici II. classis; 3. de die octava; 4. de duplici maiori; 5. de duplici minore; 6. de semi-duplici; 7. de infra octavam.

In hoc autem ordine siluimus de quibusdam Dominicis aut feriis maioribus, quia ad casum nostrum non faciunt. Item nihil diximus de qualitate primarii et secundarii, quia haec qualitas intervenit, et vim habet, in occursu tantummodo duorum officiorum eiusdem classis et ordinis, uti docet reformata Rubrica. Itaque in casu nostro, licet agatur de die

octava festi secundarii, dies tamen octava, uti videre est in ordine supra exposito, praevalet non tantum duplici minori, sed imo et duplici maiori, sit vel non sit primarium. Ratio est, quia dies octava in ordine occurrentiae constituit quodammodo ritum specialem, qui stat inter duplicia 2. classis et duplicia maiora, docente Gavanto (*Sect. 3, c. 8, n. 12*): *Dies octava, quia non transfertur, excludit et tranferri facit festum duplex, sive sit maius, sive minus.* Si eadem die occurreret octava festi primarii et octava festi secundarii, certo certius huiusmodi qualitas attendenda esset, et fieret de die octava primarii festi, cum commemoratione alterius; quando vero occurrit cum festo ordinis inferioris, huic cedere non debet.

Ad Primum ergo respondeo dicendum: Esto quod dies octava naturam sequatur sui festi, sicut accessorium sequitur principale; at in casu nostro, licet fiat de die octava festi secundarii, cum commemoratione duplicis primarii, hoc principium minime vulneratur. Ratio est, quia duplex primae classis primarium et duplex primae classis secundarium occupant eumdem gradum in ordine occurrentiae, et inter officia eiusdem gradus, primarium praevalet certo secundario. Dies autem octava gradum occupat non aequalem sed superiorem in ordine occurrentiae, ut vidimus, quam duplex maius et minus; sit ergo primaria vel secundaria dies octava, praevalere debet officiis gradus inferioris.

Ad Secundum: Citatus locus Rubricarum, ad rem non facit; licet enim in eo dicatur, quod *in paritate ritus fieri debeat de primario prae secundario,* in casu nostro paritas ritus non est attendenda ad litteram, sed iuxta spiritum legis. Et sane, si ad litteram haec Rubrica applicanda esset, ipsa Feria IV Cinerum, quae ritu simplici gaudet, cedere deberet semiduplicibus et duplicibus, dum e contra indubie praevalet duplicibus etiam 1. classis. Idem dicatur de Dominicis maioribus, quae ritum habent semiduplicem et dupli-

cibus praeferuntur, etc. Quare hoc? Quia aliis in locis Rubricarum, Tit. X, n. 1, hoc aperte decernitur de Feriis et Dominicis maioribus. Ita et de die octava alio in loco, nempe Tit. X, n. 2, Rubrica dicit diem octavam praevalere duplicibus maioribus et minoribus. Igitur, dicendum est, nisi debita fiat distinctio, quod etiam in hoc casu *littera occidit*.

Ad Tertium: Inconveniens allatum nimis probat, ergo nihil probat. Non enim exurgit allatum inconveniens ex praelatione diei octavae secundariae tantummodo, supra duplex minus aut maius; sed nascitur etiam in occurrentia diei octavae primariae. Hoc anno, ex. gr., octava Ascensionis incidit in diem 15 Maii, ac proinde de ea alicubi actum est cum commemoratione S. Ioannis de la Salle (*duplex minus*). De festo Ascensionis actum est die sua 8 Maii, et diebus 12, 13 et 14, de infra octavam; nihilominus et die 15 adhuc de ea persolutum est officium, quod omnino perdidit S. Ioannes de la Salle. Quid ergo? Si huius iacturam non luges, lex enim clarissima est prorsus, neque in casu nostro lugeas iacturam officii S. Antonii, eadem enim est semper ratio praevalentiae.

Ergo omnino apud Patres S. I. qui celebrant festum Sacr. Cordis Iesu cum octava, die 13 Iunii hoc anno agere debuerunt de die octava ipsa, licet secundaria, cum commemoratione S. Antonii, licet duplex primarium.

Consectarium.

Si dies octava festi secundarii praevalet in *occurrentia* festo duplici minori (imo et maiori) primario, praevalebitne etiam in *concurrentia?*

En casum: die 13 Iunii Patres S. I. agunt officium diei octavae Sacr. Cordis Iesu *dup.* cum commemoratione S. Antonii Patavini, ad instar simplicis redacti. Primae et secundae Vesperae quomodo ordinandae erunt, cum die 12 actum sit

de S. Ioanne a S. Facundo, et die 14 agendum sit de S. Basilio, utroque duplici minori sed primario?

Responsum in promptu est. Leges occurrentiae non in omnibus cohaerent cum legibus concurrentiae, ut cuique notum est; hinc, ex. gr., Dominica maior quae in occurrentia praevalet duplici, in concurrentia ei cedit. Similiter et dies octava. In occurrentia praefertur etiam duplici maiori, in concurrentia sequitur leges comunes quae duplicia minora, paucis exceptis, regunt. Quapropter in casu nostro, cum dies octava Sacr. Cordis Iesu sit duplex minus secundarium, cedit Vesperas concurrentibus festis duplicibus primariis S. Ioannis a S. Facundo et S. Basilii.

Neque attendenda est dignitas personalis, quia haec locum tantum habet quando occurrunt aut concurrunt duo officia primaria, vel duo secundaria. Ergo...

Quod si alicubi Ss. Cor Iesu sit Titulare Ecclesiae, tunc festum eius evadit duplex 1. classis 2. ordinis et primarium; ideoque tam dies infra octavam, quam ipsa dies octava, leges, sequitur in Rubricis reformatis editas tam in occurrentia, quam in concurrentia. Scilicet locum cedit tantummodo festis et octavis S. Ioannis Baptistae et Ss. Ap. Petri et Pauli.

Doct. Petrus Piacenza.

II.

DE COMMUNIONE FIDELIUM FERIA VI IN PARASCEVE.

Dubium.

Num liceat fidelibus Eucharistiam recipere seu sacram communionem agere feria VI in Parasceve?

Responsum.

Cum de re agatur magni momenti, magisquam prima fronte videatur, et aliunde non defuerint, qui pro affirma-

tiva, et qui pro negativa steterint sententia, necessarium iudicamus super praefato dubio aliquantulum immorari. Eoque magis, quia veterum quorumdam sententiam affirmantem et recentes scriptores sequi possent, quin momenta considerent, quibus illa fulciatur, aut praesentem disciplinam, ex qua hodie Ecclesia dirigitur. Aliunde liturgicas leges et ecclesiasticas apprime servandas esse nemo non videt.

Silemus antiquitatem brevitatis ergo; in ea enim gravioribus argumentis demonstrari facile posset, sacra communione pluribus in locis fidelium plebem fuisse refctam. Praesentem considerabimus tantummodo disciplinam et ius liturgicum: ex quibus certa conclusio profluet, non licere fidelibus, neque ipsis sacris ministris Celebranti assistentes Feria VI in Parasceve Corpus Domini sumere.

Ante omnia iuvet referre Rubricam Missalis pro feria V in Coena Domini, quae sic se habet. " Hodie Sacerdos consecrat duas hostias, quarum unam sumit, alteram reservat pro sequenti die, in quo non conficitur Sacramentum. Reservat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit *pro Infirmis.* „ Ergo, subdit cl. Tetamus, " si pro infirmis, monet Rubrica, reservandas esse particulas consecratas, non utique pro aliis, si enim pro aliis reservari liceret, inutile esset monere pro infirmis *(Tract. 11. lib. IV, Pars II, Nota Fer. VI in Parasceve).* Gavantus quoque suffragatur, dicens: " Romani non communicabant hac die, *Innoc. in cap. Sabb. de consecr. dist. 3,* Sacramenta penitus non celebrari tradit, et in Rubrica nostra Missalis de infirmis tantum est mentio, ut illis reservetur pridie Sacramentum. *Francol.* eadem docet *1 part. cap. 30 n. 10* de temp. Hor. Canon., et *Albasp.* de vet. Ritibus, *lib. 2. Observ. 14,* negat in ieiunio rigoroso, et in moerore maximo priscis temporibus Eucharistiam distributam esse *(Pars IV, Tit. IX, De Fer. VI in Parasc.).* „

Quam sentiendi rationem et Meratus approbat suamque facit, hinc scribit: optime respondet Garantus... servandam

esse universalem Ecclesiae consuetudinem, non ministrandi, nisi infirmis, hac die Eucharistiam *(Loc. cit. n. LXXVIII)*. „

Eodem sensu Missalis Rubricam exponit Cavalerius, scribens: " In Rubricam Missalis inter Missam praecedentis Feriae V positam, quam servari demandat: - Reservat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit pro infirmis - utique non pro sanis; non limitasset quippe Rubrica ad infirmos dispositionem suam, si etiam sanis integrum foret communicare *(Tom. IV, Decr. III, n. II)*. „ Inde refert etiam Romanae Ecclesiae consuetudinem, iuxta quam ab administranda Eucharistia, Feria VI in Parasceve, illam abstinuisse testis est E.mus Pitra in Const. 20 Eugenii IV, n. 11 additque citatus Cavalerius: " Idipsum quoque testantur quotquot nullam alias inhibitionem administrandae Eucharistiae adesse sentiunt *Loc. cit.*). „

Arroges, Benedictum XIV sequenti modo se exprimere quod rem nostram attinet: " Res certa est, non debere ea die (*Feria VI in Parasc.*) communicari, nisi infirmos, etiamsi in eam diem festum SS. Annuntiationis incideret (*De Sacrif. Missae, Pars IV, Sect. 2. n. CLXIV*). „ Quod etiam probat seu ex Rubrica Missalis, quae, uti superius vidimus, reservare iubet aliquas particulas consecratas pro infirmis; ergo non pro sanis: seu ex usu Ecclesiae Romanae, quae tali die Eucharistiam minime distribuit.

In praesenti aetate nos in Archibasilica Vaticana perspeximus quidem oculis nostris, Feria VI in Parasceve, aliquos communicantes fideles; at quinam erant? Milites, qui illuc perrexerant paschale praeceptum adimpleturi. Quod profecto quam merito fiat, nemo non videt, ut ab hoc facto commentando iure abstineamus.

Post quae aliquid venit dicendum de quodam Decreto S. R. C., quod citatur et refertur a cl. ephemeride *Monitore Ecclesiastico* (*num. mens. Maii, pag. 133*) et ab omnibus propemodum doctoribus, qui hac super re scripserunt. Hoc De-

cretum refertur a Gavanto (*loc. sup. cit.*), qui scribit: duo Dubia fuisse proposita S. R. C., quorum primum erat: " An fideles, occurrente festo Annuntiationis Feria VI in Parasceve, tenerentur interesse officio praedicto, quod loco Missae celebratur, „ et negative respondit. Alterum Dubium erat sequens: " An ratione festi ministrari possit Eucharistia aliis, quam infirmis. „ Cui Sacror. Rit. Tribunal respondit: " Servandam esse universalis Ecclesiae praesentem consuetudinem non ministrandi, nisi infirmis, hac die Eucharistiam. „ Dies inscripta Decreti est 19 Febr. 1622. Refertur a Cavalerio, cuius pensanda sunt verba, quibus illud commentatur, et sequentia sunt: " Decretum arripimus, in quo, cum solis infirmis communio concedatur, utique sani omnes ab eadem depelluntur: *In Feria VI Parasceves non est ministranda Eucharistia, nisi infirmis.* S. R. C. die 19 Febr. 1622. Quantum ad praesens attinet, rem satis dirimit sanctio ista, quae licet Merato teste, *p. IV, Tit. 9, n. 78,* in Regestis Sacrae Congregationis minime reperiatur, non continuo inter apocryphas est reiicienda, cum fere ab omnibus producatur auctoribus, a Merato ipsa digna censita sit quae nihilominus referretur in suo Decretorum indice, n. 187, et denique evulgata fuerit a Gavanto, qui cum S. R. C. Consultor peritissimus fuerit, eidem certe facit auctoritatis plurimum (*T. IV, Cap. IV, Decr. III, n. I*). „

Addere pro praesenti disciplina iuvat, SS. Dominum Nostrum Leonem Pp. XIII, Gen. Decreto *Urbis et Orbis* statuisse: " Decreta hucusque evulgata in iis, quae a Decretis in hac Collectione insertis dissonant veluti abrogata esse censenda. „ Ergo quae non dissonant, manent in suo robore, etsi extra Collectionem praesentem vagentur. Eoque maxime, quod Decretum istud, etsi in Regestis repertum non fuerit, nihilominus et Rubricae suprarelatae, et consuetudini Romanae Ecclesiae conformis est.

Denique, etsi dicas, hoc Decretum sua vi destitutum, nihil

interest, alia enim non desunt, ex quibus argumentis thesis nostra, plusquam sententia, in summa certitudine atque evidentia ponitur: ut, iure inspecto praesenti, vix intelligatur, qua ratione possit opposita sententia sustineri. Si enim iterum consulamus Benedictum XIV, haec accipimus: " Inter Decreta quidem S. Congregationis Concilii illud tam solemne extat de quotidiana Communione, in pluribus libris editum, vulgatumque sub die 12 Febr. 1679, quo Ordinariis locorum iniungitur: *ut curent, ut circa communionem in Feria VI Parasceve, Missalis Rubricae et Ecclesiae Romanae usus serventur (De Sacrif. Miss. Pars IV, Sect. 2, n. CLXIV).* „ Quid autem Rubricae exigant, et quis sit huiusmodi usus Romanae Ecclesiae iam supra vidimus, non administrandi, scilicet, exceptis infirmis, Eucharistiam fidelibus.

Sed praestat huiusce Decreti partem integram referre, ut lectores videant, haud parvi, sed gravioris momenti rem esse. Ab ipso Tetamo (*Tract. II, Liber IV, Pars II, Not. Fer. VI in Parasc. Cap., VII*) eam decerpimus, et sequentis est tenoris: " Cum ad aures SS. D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diocesibus vigere usum quotidianae communionis, *etiam in Feria VI Parasceve...* Curent (*Episcopi*), ut circa communionem in Feria VI Parasceves Missalis Rubricae et Ecclesiae Romanae usus serventur..... Si Parochi aut Confessarii etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes, secus egerint, sciant Deo optimo maximo rationem reddituros esse; nec defuturam Episcoporum et Ordinariorum iustam et rigorosam animadversionem in contrafacientes etiam Regulares, etiam Societatis Iesu, facultate ipsis Episcopis et Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa. Et facta de praemissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac praesens typis dari ac publicari voluit. In quorum etc. Datum Romae 12 Febr. 1679. „ Hinc idem Tetamus refert (*eod. loc.*) verba Cardenas, qui ait, ante hoc De-

cretum fuisse quidem perfectius a communione abstinere; sed post ipsum *ea abstinentia manet obligatoria.*

Tamdem graviter obligandi vim agnoscunt in hoc Decreto La Croix (*Lib. VI, p. 1, q. 93, § 5*) et Ligorius (*Liber VI, tract. 3, cap. 3, Dub. 3*). " Nec secus, concludit ipse Tetamus, patiuntur interpretari verba ipsa comminantis Pontificis in fine Decreti: Si secus egerint, sciant Deo opt. max. rationem reddituros: quae nemo est qui nesciat, haberi inter graviora, quae adhiberi soleant a Pontifice, fideles subditos ad aliquid praestandum obligare volente. „ Hinc, cum eodem auctore concludi potest, excusari quidem posse auctores pro eorum contraria sententia, qui ante Decretum istud scripsere, sed post ipsum certam esse veritatem, Feria VI in Parasceve Eucharistiam fidelibus administrari non posse, nisi infirmis morti proximis pro viatico.

Sint pro coronide ultima verba pluries citati Tetami: " Postremo notandum: usque adeo obligare allatum Decretum S. Congregationis Concilii, ut ex facultate peculiariter facta ibidem a Summo Pontifice, Episcopi et alii locorum Ordinarii procedere possint contra quoslibet transgressores, quomodocumque exemptos et privilegiatos (*loc. cit.*). „

III.

DE MISSAE QUALITATE PRO INDULGENTIAM ALTARIS PRIVILEGIATI LUCRANDA A VIVENTE.

Quaestio.

Si Indulgentia altaris privilegiati lucrifieri pro defuncto debeat, certum est Missam esse debere de Requie, saltem permittente ritu. Quid vero si Indulgentiam praefatam vi-

vens pro se lucrari velit? Missa in casu *debetne* vel *potest* esse de Requie, an esse *debet* **vel** *potest* de die, vel votiva?

Solutio.

Iuxta Decretum S. Cong.nis Indulgentiarum, altare privilegiatum **pro vivis** *atque defunctis* ita est interpretandum " ut tam pro vivis, si in altari, de quo agitur, Missae Sacrificium pro vivis applicetur, quam pro defunctis intelligatur, si pro his Sacrificium applicetur, concessa plenaria Indulgentia: pro vivis ad modum iurisdictionis, pro defunctis ad modum suffragii *(25 Aug. 1897, V. Ephem. Liturg. vertentis anni 1902, mens. Maii, pag. 324-325)* „. Hinc patet, Indulgentiam altaris privilegiati iure a vivente lucrifieri posse, si Missa pro eodem vivente in altari privilegiato celebretur. Inde dubium propositum: qualis dici hoc in casu debeat aut possit a celebrante Missa, an de vivis, an de Requie.

Quod in dubii expositione dicitur, circa Missam in altari privilegiato *de Requie celebrandam*, si ritus illam non vetet, ut defunctus, cui Missa applicatur, frui et Indulgentia valeat, certum est et nulli discussioni subiicitur. Decreta S. R. Cong.nis id statuentia plura sunt et perspicua, ut inutile iudicemus illa referre. Eadem certitudine et claritate fulgent Decreta S. Cong.nis Indulgentiarum: adeo ut, seu illis seu istis inspectis, solus ritus impediens, Missam de die vel votivam pro defuncto, in altari privilegiato cohonestare valeat, ut Indulgentia possit lucrifieri. Quid vero, si Indulgentia, non pro defuncto, sed pro vivo sit lucranda, pro quo applicari debet et Missa? In pluribus auctoribus quaestionem hanc quaesivimus, sed tractatam vel obiter eam invenire non potuimus. Ut ergo eam resolvamus, Decreta praefata perpendere necesse est, et ratiocinio uti, quantum enim scimus, lex positiva non extat.

a) Decreta, seu S. R. Cong.nis seu Indulgentiarum, quae Missam exigunt de Requie, ut Indulgentia lucrifiat altaris privilegiati omnia plus minusve loquuntur de Indulgentia pro defuncto, non pro vivo, lucranda. Prae aliis magis est explicitum Decretum S. Cong.nis Rituum, n. **2041**, in quo Orator postulat indultum faciendi Missam " de festo duplici cum applicatione Sacrificii ad altare privilegiatum, ad consecutionem Indulgentiarum **pro animabus defunctorum.** „ Cuius Oratoris postulationi, S. R. C. respondet affirmative, patefacto errore circa interpretationem privilegii, quod Gregorius Pp. XIII altari Ecclesiae Cavensis concesserat, vi cuius, indulto eam non indigere eadem S. R. C. declarat. Item Decretum alterum, quod incipit; **Creditae nobis**, Alexandri Pp. VII, aliud confirmans, quo statuitur Missas defunctorum esse vetitas in duplici, idemque servandum quoad Missas in altaribus privilegiatis ex obligatione dicendas, et Indulgentias per eiusmodi privilegia concessas **animabus in purgatorio existentibus** suffragari, perinde ac si celebratae fuissent Missae defunctorum. Sacra pariter Cong.tio Indulgentiarum praefatae dispositioni planae cohaeret, uti specialiter ostendit in Decreto 22 Febr. 1847, in quo quaesitis duobus ad rem facientibus respondet: " 1. Utrum ad acquirendam plenariam Indulgentiam **pro defunctis,** Sacerdos qui Sacrum facit in altari privilegiato....., teneatur paramentis nigri coloris uti, diebus non impeditis? 2. Utrum Sacerdos, qui privilegio personali... fruitur, teneatur iisdem paramentis uti, diebus pariter non impeditis, **pro eiusdem Indulgentiae** acquisitione? (*Resp.*). Ad 1.^{um} et 2.^{um}: Affirmative: iuxta Decretum 11 Apr. 1840. „ Hoc autem, antiquius relato, iisdem plane verbis concipitur in dubiis II et III. Hinc non dubitandum, Missam de Requie, permittente ritu, ex lege positiva, omnino requiri ad lucrandam Indulgentiam altaris privilegiati pro defuncto. Ex quo tamen non sequitur profecto, eandem de requie Missam requiri ad lucrandam Indulgentiam pro vivente.

b) Argumentatione autem utentes, haec notanda veniunt. Optimo iure lex Decretorum statuit, Missam in altari privilegiato pro defuncto esse debere de Requie, favente ritu, ad Indulgentiam pro eo lucrandam. Quia congruit omnino, ut Missa, quae applicari debet pro defuncto, qui et fruiturus est Indulgentia plenaria, sit de Requie.

Sicut enim Ecclesia applicat quantum potest de thesauris suis, ut anima a poenis purgatorii liberetur, si in iis detinetur, ita aequum est, ut Celebrans, quantum potest, et ipse faciat ad eumdem obtinendum finem, iuxta Ecclesiae intentionem. Non solum autem potest illi animae applicare fructum Sacrificii, sed potest etiam peculiares pro ea preces fundere, Missae de Requie proprias. Ergo utrumque debet, et lex ad id illum obligat, uti superius vidimus.

Verum si haec valent pro defuncti anima, vi nulla pollent pro anima viventis. Fructus enim Sacrificii non applicatur defuncto, sed vivo; ergo ratio non subest, ex qua pro defunctis fundi debeant peculiares preces, uti in Missa de Requie. Quinimo oppositum admittendum omnino videtur; sicut enim pro defuncto et fructus Sacrificii et preces Missae propriae iuvant, ita idem fructus et preces congruentes iuvare debent pro viventis anima. Porro viventis animae magis congruunt preces Missae de vivis propriae, quam aliae propriae Missae defunctorum, uti patet. Quod ceterum Ecclesia agit pro defuncti anima in casu, et pro viventis anima illam agere iure praesumendum: ut, sicut pro defuncto exigit applicationem Sacrificii et singulares preces, ita censendum est, ut utrumque pariter exigat pro vivente. Sit ergo pro isto fructus Sacrificii, sintque etiam preces vivorum, non defunctorum propriae.

Ex quibus sequeretur, Indulgentiam altaris privilegiati posse a vivo lucrifieri per solam Missam de vivis, et in paramentis tempori vel festo congruentibus, sicut eamdem defunctus lucrari nequit, nisi per Missam de Requie, atque in

paramentis nigris, vel saltem ex rationabili causa violaceis. Quod nihilominus minus verum credimus. Ratio est: *a*) quia preces Missae de vivis propriae minus directe iuvant viventes, magis vero directe defunctos iuvant, quae Missarum de Requie propriae sunt. Illae enim in Dei vel Sanctorum laudem generaliter sunt, istae vero peculiariter diriguntur ad Deum in animarum defunctorum levamen. Hinc viventium animae ex commutatione harum precum, Missarum de vivis propriarum in alias, quae defunctorum propriae sunt, vix aliquid detrimenti capiunt: dum animae defunctorum satis magis gravarentur ex commutatione precum, quae in earum levamen Deo offeruntur. *b*) Insuper viventes facile renuntiant pro se precibus in Dei laudem, ut animas defunctorum iuvent, ex quo et Dei pariter laus resultat, et beneplacitum suum. *c*) Praeterea, quod maxime interest, de Missa de Requie pro defuncto dicenda, si Indulgentia illi applicetur, lex certa subest; sed de Missa de vivis pro vivente quando et ipse lucrari vult Indulgentiam altaris privilegiati, lex non habetur. *d*) Aliunde ex Decreto S. Cong nis de Prop. Fide constat, posse Sacerdotes celebrare Missam de Requie, et simul satisfacere obligationi, quam susceperunt, celebrandi pro vivis (*13 Oct. 1856, apud Bucceroni. Enchirid. Mor., edit. 1900, n. 612*). His perpensis 1. Arbitramur: nullimode necessarium esse, ut pro lucranda a viventibus Indulgentia altaris privilegiati, Missa dicatur de Requie, quamvis dici possit. 2. Iudicamus pariter, regulariter de vivis Missam esse celebrandam, cum viventi applicari debeat Sacrificium, ab eoque Indulgentia plenaria lucranda sit. Brevi, ut respondeamus proposito dubio: Quando altare ita est privilegiatum, ut etiam pro vivis lucrifieri possit Indulgentia plenaria cum Missa in dicto altari, tunc dicta Missa semper potest esse de vivis, quamvis necessario de vivis esse non debeat, cum esse quoque possit de Requie. Ita salvo meliori iudicio.

IV.

DE CALICE NON ABSTERGENDO A CLERICO SUBDIACONO VICES AGENTE IN MISSA SOLEMNI.

Quaestio.

In Decreto S. R. Cong.nis, n. **3377**, d. 25 Sept. 1875, declaratur, ministrum in Missa cantata, hoc est sine ministris sacris, posse inter alia calicem tergere post communionem, ipsumque suis ornamentis instruere. Verum per Decretum diei 6 Dec. 1901 (*V. Ephem. an. 1901, dec., pag. 700*) dicitur, ministrum debere esse in sacris constitutum, ut calicem tergere valeat. At in pluribus aliis Decretis edocemur, posse clericum, data necessitate, Subdiaconi munere fungi in Missa solemni, dummodo manipulum non ferat.

Hinc sunt qui sustinent adhuc, clericum in casu posse abstergere calicem quando Subdiaconi officium in Missa solemni agit: sunt qui id negant, Decreto ultimo posito, 6 Dec. 1901. Quid ergo sentiendum? Clericus, etiam post ultimum citatum Decretum, potestne in Missa solemni calicem post communionem tergere, cum Subdiaconi munus exercet?

Solutio.

Sicuti proprium Sacerdotis est consecrare panem et vinum atque in corpus et sanguinem Christi transubstantiare, ita ipsi de iure licet vasa sacra, rem sacram continentia, intus contrectare. Diaconorum est autem vasa sacra externe tangere ac deferre, etiam si rem sacram contineant. Subdiaconorum vero est vasa sacra interne tangere, dummodo rem sacram non contineant.

Hoc de iure et vi Ordinis. Quibus positis, patet, eum qui Subdiaconatus ordine non insignitur, calicem intus contrectare non posse; immo nec per se externe tangere posset,

quamvis hac super re aliquantulum Ecclesiae disciplina rigorem suum remiserit. Ergo, re in se spectata, etsi clericus fungi ex necessitate permittatur subdiaconali munere in Missa solemni, calicem intus tangere, consequenter abstergere non potest, etsi rem sacram continere desierit.

Nunc ad legem Decretorum. Die 25 Sept. 1875 Magister caeremoniarum Baionensis Ecclesiae quaerebat a S. R. Congregatione: " An Celebrans Missam cum cantu sine ministris adhibere possit... *ministrum* qui folia vertat, et calicem... tergat post communionem, suisque ornamentis instruat; vel celebrare debeat ut in Missis sine cantu, omnia superenunciata a semetipso peragendo, et non ope ministri? " S. C. respondit: " Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam. "

Quaeri iam potest, de quo ministro hic loquatur caeremoniarum magister, de quocumque ministro, etiam clerico, seu qui talari veste utatur, uti vulgo dicitur, vel de clerico proprie dicto, qui tonsura saltem initiatus sit, vel tantum de ministro in sacris constituto? Neque id explicatur in Dubio neque in responso. Quomodo ergo intelligendum? Fortasse, Decreto in se inspecto, sic ratiocinari quis posset: Lex de ministro, ulla sine distinctione, agit; atqui clericus quicumque sub tali nomine intelligi potest, ergo pro dicto ministro quivis clericus, qui ad summum sit prima tonsura ornatus, potest intelligi. Aliunde quare distinctio tibi facienda est, cum noluerit lex ipsa distinguere? Arroges, Decreta **2965** ad 4, **3525** ad 1, **3832** ad 4, clericum permittere in Missa solemni, posita necessitate, dummodo manipulum non ferat.

Suffragatur et cl. De Herdt, qui loquens de Missa cantata sine ministris, scribit: " Haec Missa cantari potest cum uno acolytho, et tunc hic... potest... calicem tergere post communionem, suisque ornamentis instruere " ad supercitatum Decretum relatumque **3377** ad 4 alludens *Prax. Liturg. Tom. 1, n. 300, II).*

Contra hanc interpretationem nil hucusque, severe loquendo, dici potuit, cum enim incerta lex esset, iure concludere licuit, unumquemque potuisse sequi suam videndi rationem. Res nihilominus impraesenti mutata est, adeo ut praefati auctoris sententiam amplius sequi non liceat. Eoque magis, quia Decretum **3377** ne verbum quidem fecerat aut facit de *acolytho,* sed de *ministro;* et *acolythum* posuit cl. De Herdt aliis Decretis suffultus, quae inter se fortasse contulerat.

Itaque haec pro praesenti praxi certo tenenda sunt: *a)* Folia vertere, calicem tangere exterius, pallaque eum cooperire ac discooperire, deferre, atque in reliquis Celebranti sive in Missa cantata sive in solemni, ministrare, proprium quidem Subdiaconi munus constituunt. At calicem interius contrectare ad ipsum abstergendum, est quid ceterorum maximum quod Subdiacono competit, et quidem praecise vi Ordinis sacri, quo initiatus est; *b)* Decreta quae permittunt in necessitete, ut clericus ministret pro Subdiacono in solemniori Missa, non includunt necessario calicis abstersionem. Quod adeo verum est, ut in pluribus Ecclesiis clericum munere Subdiaconi fungentem viderimus, calicem tamen ipsum non abstergentem, sed Diaconum, licet ille reliqua Subdiaconi munia ageret; *c)* Το *ministrum,* de quo Decretum **3377** ad 4, ambiguitate laborat, et per Decretum 1901 declaratur: adeo ut, vel significat ministrum in sacris, et tunc abstergere calicem de more possit, vel simplicem clericum, tonsura initiatum, et tunc non possit abstergere calicem, quamvis reliqua Subdiaconi munia agendi sit illi indulta potestas; *d)* Manipuli conditio, quem deferre clericus nequit, afficit vestem Subdiaconi propriam: quae nemini competit, nisi Subdiacono; nec eam defert Diaconus, nisi quia et ipse Diaconus est Subdiaconus; nec Sacerdos, nisi quia et ipse est quoque Diaconus et Subdiaconus. Calicis vero abstersio afficit munus Subdiaconi maximum, quod non convenit excerceri ab alio

ex reverentia erga vas sacrum, peculiariter quod rem sacram mox continuit. Ex illa proinde conditione tantum posita, scilicet non deferendi manipulum, non potest argui permisisse S. R. Tribunal, ut clericus posset hoc praecipuum sacrumque Subdiaconi officium sibi sumere; sed dici hoc tantum potes, legem fuisse incertam, quae impraesentiarum certa facta est.

Conclusio ergo est, clericum Subdiaconi munus in Missa solemni agentem, vel Celebranti assistentem in Missa cantata sine ministris, calicem non posse abstergere, uti Subdiaconus vi Ordinis sui potest; sed id Diaconus, aut in altero casu Celebrans per seipsum agere tenetur. Consequenter ad propositum Dubium reponimus: *Negative.*

Nota 1. Necessitas, ut clericus officium Subdiaconi exerceat, ita intelligenda, ut pro Missa solemni, quae vel ex obligatione vel ex consuetudine vel solemnitatis ratione, celebranda est, Subdiaconus praesto non sit, aut officio illo fungi recuset, non tamen in gratiam clerici *in minoribus.*

Nota 2. Ratio, ex qua vim adhuc habere dicta sunt Decreta, quae extra Collectionem vagantur, et tamen ab iis quae continentur in collectione non dissonant, esse potest, quia extra praesentem Collectionem esse aliqua Decreta possunt, quae vel in Commissionis notitiam non venerunt, quod particularia erant, ex quibus haud omnia in antiqua Collectione inserta fuerant, vel forte nota ex possibili inadvertentia omitti potuerunt, cum nihilominus utraque a nuper evulgatis possent non esse contraria. Ita quidem credimus.

DECLARATIONES

CIRCA EA QUAE " EPHEMERIDES „ DOCUERUNT

I.

AD SOLUTIONEM SECUNDI DUBII IN FASCICULO MENSIS IUNII ELAPSI DATAM.

(Pag. 384).

Rev. P. I. P., lector benevolus nostrarum *Ephemeridum,* haec nobis scribit: " Historia martyrii Machabaeorum non est computanda quasi esset unum ex *Initiis* alicuius libri S. Scripturae; hinc privilegio non gaudet *Initiis* concesso a S. R. C. decretis n. **3665** ad 2, et **3237** ad 3, ut, loco citato, asserit solutor. „

Ante omnia gratias plurimas agimus praedicto Reverendo P. I. P., ob animadversionem suam, optamusque ut consociati hac se ratione gerant nobiscum cum in *Epheridibus* minus exacti legunt. In mentem enim nobis subit illud B. Ambrosii (*Epist. 48 ad Sabinum Placent. Ep.*), quando ad amicum libros suos corrigendos mittebat: " Adsume benevolenti animo aurem versutiae et pertracta omnia... Notam appone ad verbum dubii ponderis, etc. „

Licet confitendum sit calamum nostrum, uti *velociter scribentis,* nimis transcurrisse, cum scripsimus, pag. 386: *Lectiones Dom. V Octobris* **feriarumque duarum sequentium** *habendae sint velut* Initia, nihilominus pag. 385 praecedenti id diximus semel et bis de solis lectionibus Dominicae V. Videant lectores lin. 21 et 31, ubi legent: " lectionem primam, quae velut *Incipit* aequivalet, „ et " lectio *Eleazarus* velut *Incipit* consideratur, „ at utrobique tacuimus de lectio-

nibus feriae VI et Sabbati sequentis. Conferant ergo loca diversa et iudicent quomodo intelligenda nostra solutio sit. Ceterum Rev. P. I. P., contra nos citat cl. A. Carpo sententiam, qui tam in Kalendario perpetuo (*adnot. 1 in Dom. Octob.*), quam in Bibliotheca (*n. 232*) aperte dicit: " quae feriae, si fuerint impeditae, lectiones illae (de martyrio Machabaeorum) praetermittantur, cum privilegio careant repositionis in Festis obtinentibus lectiones primi nocturni proprias. „ Quamquam et nos, plurimi faciamus opus liturgicum cl.mi A. Carpo, non omnibus tamen illius sententiis subscribimus, nec semel in nostris *Ephemeridibus* illi contradiximus. Ita et in hoc casu.

Nulla lex explicite dicit quod lectiones Dominicae V Octobris habendae sint velut *Initium*. Rubrica tamen Feriae V hebdomadae IV Octobris sensum Ecclesiae hac de re satis superque nobis aperit, decernens lectiones martyrii Machabaeorum esse anticipandas, quando mensis Octobris non habeat Dominicam quintam. Hoc est praeclarum privilegium, quo carent ipsa *Initia* librorum, quae trasferuntur quidem, sed non omnes anticipantur. Hunc sensum intellexerunt antiqui scriptores, Gavantus et Guyetus; et licet dictam aequivalentiam littera non doceant, quia eorum temporibus pauca erant officia proprias lectiones 1 nocturni habentia, nihilominus optime spiritum Ecclesiae intimum perceperunt. Audiatur Gavantus (*Sect. 6, c. 21, n. 10*): " In gratiam martyrii septem Machabaeorum, si forte desit Dominica V Octobris, iubemur legere de eo Fer. 5 praecedente dictam Dominicam; et eodem modo, si Dominica V et Fer. sequentes fuerint impeditae, quo minus de Scriptura legi possit, leguntur in aliis sequentibus Feriis post Feriam 3, ita ut saltem inchoentur, si minus omnes de eorumdem martyrio possunt legi Lectiones. „ Quoad vero Guyetum (*Lib. 4, c. 16, qu. 5*) sic inscribit quintam quaestionem: *Qua ratione Librorum initia resumantur?* Et in ea sicut de *Initiis*, loquitur et de lectionibus

martyrii Machabaeorum, quarum meminit in antecedenti 3 quaestione.

Quoniam vero S. R. C. decreta, a nobis citata, 27 Martii 1779, n. **2514**, et 28 Iunii 1886, n. **3665**, et 11 Martii 1871, n. **3237**, multis annis posteriora sint temporibus Gavanti et Guyeti, nihil ipsi ex eis aliquid deducere potuerunt, sicuti nos possumus et debemus.

Sed paucis ab hinc annis salutare Decretum S. R. C. emisit, quod nos maluissemus magis extensivum et comprehensivum, d. d. 30 Iunii 1896, n. **3923**, sic se habens: " Praesentibus rerum adiunctis inspectis, Lectiones 1 Nocturni propriae vel de Communi Sanctorum esse in posterum adhibendas tantum pro duplicibus I vel II classis, etc. „ Ex quo patet, desiderium esse Sanctae Matris Ecclesiae, ut lectiones de Sacra Scriptura quoad fieri potest numquam omittantur, et eo magis illae, quae ex Rubricis praeferuntur et sunt privilegiatae. Si ergo conferamus 1° hoc decretum, 2° Rubricam Feriae V hebdomadae IV Octobris, 3° Decreta a nobis citata, nn. **2514**, **3237** et **3665**, probe conveniendum erit humanissimo nostro P. I. P., lectiones Dominicae V Octobris, velut *Initium* habendas esse, ac proinde omnino legendas, etiam in festo lectiones 1 nocturni proprias habente, si alia dies desit, ne illo anno omittantur.

Nihilominus, iis de quibus hucusque disseruimus opponi potest S. R. C. Decretum d. d. 9 Iunii 1884, n. **3611**, ad 1, in quo dicitur, non esse legendas lectiones Dominicae V Octobris, nisi in casu, quo *adsit dies libera*. Cum vero haec dispositio positiva rationi minus cohaereat, siquidem re in se spectata, Lectiones Dom. V Oct. initio citra dubium aequivalent, dubitari fortasse posset, an teneat hac tantum de causa, quod e nova Collectione non exulaverit. Eoque magis quod in Indice, sub titulo de Lect. I Noct. pag. 257 non reperitur, quamvis sub alio titulo reperiatur. Quid igitur?

Iudicent sapientiores.

II.

AD DUBIUM IV EIUSDEM FASCICULI.

(Pag. 388).

In dubio IV p. p. numeri opinionem defendi posse respondimus quam cl. Rindfleisch et Doct. Bruner sustinuerunt (*V. pag. 388 et seq.*). Erat autem: Missa cantata post acceptum nuntium obitus alicuius est quidem vetita in duplicibus I et II cl. festisque de praecepto, non vero diebus aliis, qui praefata duplicia excludunt, uti de aliis diebus privilegiatis iure praedicandum est.

Verum, hac data typisque impressa responsione praedicta, e S. R. Cong.nis Secretaria Decretum nobis missum est in *Labacen.*, quod eodem in numero, primo loco, quamvis post reliquos articulos impressum, vulgavimus. Iam nunc eo in Decreto extat Dubium X ad rem faciens, et quaestionem hactenus controversam dirimens. Optimi lectores memoria memores erunt, nos docuisse, *momenta non deesse, ex ratione liturgica illata, queis opposita sententia defendi posset.* Adeo ut addiderimus opportune, opinionem praedictam optimo iure sustineri, *donec S. R. C. aliter decernere non velit.* Quod autem suspicabamur accidit; et nunc definitum est: Missa de requie cum cantu, quae post acceptum nuntium obitus celebrari potest die prima, quae occurrat, non impedita a festo 1 et 2 classis, vel festo de praecepto, impeditur etiam ab aliis diebus, qui dicta duplicia excludunt, quales sunt nempe feria IV Cinerum, Vigilia Nativitatis Domini et Pentecostes, feriae IV, V et VI, ac Sabbatum Paschae et Pentecostes.

Hinc sententia diversa quibuscumque momentis sepositis, amplius sustineri non potest. Consequenter post praefatum Decretum in *Labacen.* certa ab omnibus Sacerdotibus tenenda

est sequens norma, et maxime a Calendariorum ordinatoribus, ut in praenotandis inserant: Missa quaecumque cantata de requie, quae diebus privilegiatis permittitur, prohibetur tamen in duplicibus I et II classis festisque de praecepto, censenda quoque vetita est iis diebus, qui ritu licet inferiores, praefata duplicia I et II cl. excludunt.

Quae norma hoc habet utilitatis, ut, die obitus tantum excepto, reliquos omnes dies privilegiatos pares facit; proindeque eiusmodi est, ut summa cum facilitate in praxim deduci valet, ulla sine errandi formidine.

Doct. Petrus Piacenza.

AD QUAEDAM DUBIA LITURGICA

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Galliis.* Pro solemnitate, quae transfertur, nonnisi unica Missa intelligitur, ait Decretum **3754**; II. Vesperae proinde communem sequuntur legem. Ubi igitur S. Stephanus est patronus, eiusque solemnitas in Dominicam transfertur, Vesperae ordinandae sunt, nisi dici velint votivae uti in Ecclesia universali.

II. *Pro Parisiis.* Dedicatio Basilicae Lateranensis a Summo Pontifice Leone XIII declarata est primaria pro toto orbe. Dedicatio autem omnium Ecclesiarum est veluti secundaria pro Ecclesiis non consecratis. Ergo, admissa hypothesi, ex qua alicubi ex privilegio celebretur dedicatio Ecclesiae Lateranensis sub ritu duplici I cl. cum octava, simulque occurrat cum Dedicatione omnium Ecclesiarum, liquido profluit, in Ecclesiis non consecratis dedicationem Basilicae romanae praevalere alteri. Num autem Dedicatio impedita cele-

brari in die octava alterius Dedicationis, quoad non definiatur quaestio, nos negative reponimus, iuxta alibi exposita.

III. *Pro Mechlinia.* Quando omnes qui in choro intersunt, Canonici, Mansionarii, et minores Beneficiati cantant *Kyrie*, *Gloria* et *Credo*, dum cantus perdurat ipsi non tenentur surgere dum surgit Celebrans cum Ministris. Videtur tamen quod horum salutationibus respondere debeant, caput detegendo; quia sicut caput aperiunt ad verba *Adoramus Te; Gratias agamus*, etc., bene possunt et in hoc casu idem facere ut Celebranti salutanti respondeant.

Quod si aliquod incommodum pro concinentibus obveniret, Celebrans cum ministris ad Altare pergere deberent absque chori salutatione. Cum enim inferiores nequeunt respondere, neque decet ut superior inclinationem illis faciat.

IV. *Pro Dioecesi S. Hippolyti in Austria.* Hymnus ad primas Vesperas, et alter ad Matutinum, de Ss. Septem Fundatoribus, sunt certe historici ad sensum Rubricarum Gen. XX, 3; patet ex ordine narrationis in toto hymnorum contextu.

2. Necesse non est, anno 1903, lectionibus de Sapientia pro S. Beda, feria VI post octavam Ascensionis reposito, sufficere Initium Epistolae III b. Ioannis Ap. Ratio est, quia poni potest pro prima lectione in Sabbato sequenti, quin tamen omittatur alterum Initium b. Iudae Ap. Ergo ita, et non aliter fieri debet, cum possit, sicque Initiorum et lectionum propriarum S. Bedae iura servari.

V. *Pro Rucupis.* Dies infra octavam, vel duas habent vel *unas* Vesperas, quae valent pro Vesperis *primis* et *secundis*. Ceterum feria VI et Sabbatum ante Pentescosten sunt ritus semiduplicis, et vere concurrunt. Hinc vigiliae Pentecostes officium vere concurrit cum festo in feria VI praesentis anni celebrato. Nil proinde immutandum venit de iis, quae diximus in pag. 105 num. Februarii.

VI. *Pro eodem loco.* Decreta circa lectiones infra octavam, pro II et III Nocturno, aliquam latitudinem admittunt, uti notum est. Hinc bene dicit Octavarium Romanum, sed bene diximus et nos; quia, cum non agatur de historia, cuius ordo sequendus esset, lectiones de die infra octavam haud lectae, de qua fit officium, optime legi possunt.

VII. *Pro Austria.* Dies 27 Maii pro S. Maria Magdalena erat dies assignata, et nunc est dies natalitia pro S. Beda. Atqui dies natalitia praevalet diei assignatae (*Decr. 3811, III*); ergo die 27 Maii agendum semper de S. Beda, et S. Maria Magdalena in diem primam liberam perpetuo reponenda.

Eadem argumentatione u ere pro S. Ioanne Bapt. de La Salle. Hic die 15 Maii perpetuo recolendus erit, quae est quasi-natalitia, et S. Isidorus Agr., utpote in die assignata, in primam diem liberam perpetuo reponetur.

VIII. *Pro Nola.* Altare portatile, seu *Lapis sacer* pro Missa celebranda, consecrationem non amittit nisi ob confractionem sigilli Reliquiarum, vel ob fracturam ipsius lapidis. Haec autem fractura debet esse notabilis, ad mentem S. R. Congregationis Decret. n. **2612, 3162, 3497**. Est autem fractura notabilis, si habeatur in aliqua ex partibus in quibus Cruces unguntur a Consecrante, et thus cum parvis candelis crematur. Quod si levissima sit fractura in angulo, licet tangatur locus, ubi thus crematum est, tunc tuta conscientia in eo celebrari potest, quia lapis non est execratus.

IX. *Pro Campania.* Decretum in *Viglevanen.*, d. d 21 Februarii 1896 ad III, mendosum ex errore typographico relatum credimus in Indice Generali, pag. 213. Nam in eodem Decreto non dicitur, Traslatio S. Mauritii dup. 1^{ae} cl. esse festum *primarium*, et festum Ss. Mauritii et Socior. die 22 Septembris *secundarium*, sed hoc, utpote natalitium *primarium* esse dicit, et nihil aliud. Singularis prorsus est hic casus in quo dantur de eodem Sancto duo festa primaria.

Translatio S. Mauritii, quae in regione pedemontana, iubente Pio pp. VI, cum feriatione celebratur die 15 Ianuarii sub ritu 1^ae^ classis, certo certius uti festum primarium habenda est, est enim festum patronale totius regni.

Cum vero idem S. Mauritii festum etiam celebretur die 22 Septembris sub ritu dupl. mai. simul cum suis Sociis, adhuc *primarium* erit hoc festum, alioquin Socii eius, natalitium suum haberent secundarium.

X. *Pro Regio.* **De Calendario in Oratorio semipublico monialium vota simplicia habentium, et Ordinario subiectarum.** — Cum Sacerdos, celebrans in Ecclesia non sua, sequi debeat Calendarium illius Ecclesiae, quid dicendum de Missis celebrandis in Oratoriis publicis aut semipublicis monialium vota simplicia habentium, et Ordinario subiectarum, quae utuntur Calendario a dioecesano diverso?

Resp. Nescimus quomodo haberi possint huiusmodi moniales, cum votis simplicibus, et cum *Calendario proprio.* Calendarium enim proprium illae tantum moniales habent, quae ad divinum Officium adstringuntur ex regula proprii instituti; hae autem vota solemnia emittunt. Quidquid vero sit de votis, sint simplicia aut solemnia, videndum est an in casu nostro moniales ad divinum Officium recitandum in Choro sint adstrictae; quia tunc Missa, quae celebratur ab eorum Cappellano ut conventualis, omnino respondere debet Officio ab iisdem monialibus ea die celebrato (*Decr.* **292**). Ratio est, quia, teste Benedicto XIV *(De Syn. dioec.)*, Missa conventualis est pars nobilior totius Officii. Quod si Ecclesia sit publica, aut Oratorium semipublicum, omnes Missae, etiam non conventuales, respondere debent Calendario illius Oratorii, licet religiosae Familiae concrediti, ut declaravit S. R. C. 15 Decembris 1899, n. **4051**. Quoad vero subiectionem Ordinarii, vel non, parum interest in casu; tota ratio enim celebrandi Missam Officio Ecclesiae conformem in hoc sita est, si Ecclesia habeat revera Calendarium proprium. Si vero

moniales Officium divinum non recitant, neque Calendarium speciale habere possunt. Hoc sensu tantummodo, nempe in solo casu quo moniales sint Choro adstrictae, approbari poterit responsio ab Ephemeride *Il Monitore Ecclesiastico* data *(n. 30 Apr. 1902, pag. 91)*, nam, pro thesi generali mendosa esset. Ad quid enim obtinent moniales Calendarium particulare, si Officium non persolvunt?

XI. *Pro Sardinia aliisque locis.* **De quibusdam reprobandis usibus in functionibus sacris.** — An tolerandus vel potius improbandus usus: 1. Recitandi post Vesperas aut Missam de requie tot absolutiones, quot 25 centesimos consanguinei et amici defuncti immittunt in biretum, quod ad id Celebrans manu tenet? 2. Item, prout supra, Vesperis et die secunda Novembris, usus sternendi in pavimento Ecclesiae, ab iis de familia defuncti illius anni, pannulos ad modum sepulturae, circumferendis candelabra cum cereis accensis, et immittendi, ut antea, tot 25 centesimos, in biretum Sacerdotis, quot absolutiones volunt recitari? 3. Item usus recitandi ter, septies, decies..., post privatam vel cantatum Missam, tot litanias lauretanas, quot 25 centesimos fideles elargiti sunt, dictam eleemosynam sive deponendo super mensam altaris, sive illam tradendo in manus inservientis, in honorem Deiparae, vel Patroni, aut Titularis Ecclesiae, pro stipem dantis devotione, quamvis nemo ex taedio respondeat?

Resp. Miramur, vehementerque miramur. Casus huiusmodi, non quidem Ephemeridibus nostris, sed potius Congregationi S. Officii proponendi forent. Consuetudines enim relatae non devotionem, sed quamdam superstitionis speciem redolent, vel certe scandalum sapiunt, et hisce praesertim temporibus argumentum exhibent calumniarum in Ecclesiam. Rituale Romanum *(Tit. VI, cap. 1, n. 7)* dicit: " Caveant *(parochi)*, ne quid avare aut indigne in eo *(ritu exequiarum)* committatur. „ Quod autem de ritu exequiarum Rituale praedicat, pari iure ad alias functiones applicari

debet, cum eadem prorsus ratio militet. Nonne autem pecuniae adhaesionem sapit, nonne satis indecorum est eodem fere tempore ac loco, quo orationes recitantur, eleemosynas dare et accipere? Num autem in sacris functionibus licet contractus inire? Ceterum eleemosynae non sunt pretium sacrorum actionum, quae sacris Ministris fiunt, sed rationem habent auxilii vel substentationis eorum.

Equidem scimus, actus aliquos per se redargutione dignos, non amplius uti tales considerari ex usu, et quandoque etiam laude dignos existimari. At, re penitius perpensa atque in se inspecta, unusquisque convenire fas est, praefatas consuetudines esse reprobatione dignissimas. Aliquibus fortasse risum prima fronte excitare possunt; sed postea gravem admirationem parere necessario debent. In vilitate insuper et vituperio sacros Ministros ponunt, sanctioribus actibus iniuriam inferunt, ipsosque fideles paulatim ab Ecclesia avertunt, quam multi aetate nostra iam nuncupant *la santa bottega*.

Curent ergo Sacerdotes, ut dignitati propriae, qua nil sanctius ac sublimius, tota virtute prospiciant; in cultus decorem omnimode incumbant, et laudabili se gerendi ratione probo fidelibus sint exemplo.

CENSURA LITURGICA

Pluribus abhinc annis in lucem venit Romae Ephemeris, cui nomen: **La Palestra del Clero.**

Aliquando responsiones in ea ad quaesita liturgica leguntur, quae tamen non semper legibus conformes sunt. Locus esset hic in memoriam redactorum illius Ephemeridis

revocandi illud proverbium: *tractent fabrilia fabri*, et miramur quomodo tam facile munus resolvendi quaestiones assumant, absque ulla cura studendi leges et principia, quibus solutio dari solummodo potest.

In fasciculo diei 22 Maii elapsi, ad quaesitum: " Utrum in oratorio publico quando Titulus incidit in Dominicam Adventus vel Quadragesimae, cani queat Missa de Titulari, cum commemoratione Dominicae, et octavae si occurrat, et Evangelio in fine; „ ita respondit: " Affirmative; quia similis quaesitus S. R. C. anno 1808 factus habuit Decretum assentiens. „

Ante omnia hoc animadvertendum est, quod in ultima Collectione S. R. C. Decretorum, nullum ex eis invenitur latum anno 1808. Ergo, licet adesset citatum Decretum in antiqua Collectione, nullum inpraesenti robur haberet. Sed in antiqua etiam Collectione quatuor tantummodo Decreta inveniuntur evulgata anno 1808 sub nn. 4507, 4508, 4509 et 4510, at in nullo ex eis habetur aliquid, quod ad rem faciat. Sed supposito quoque errore typographico, Ephemerides, quae revera res uti par est pertractant, Decreta citant indicantes diem, mensem, annum ac numerum; et sic error typographi facilius exploratur.

Sed nos praemium ponimus illi, qui in omnibus S. R. C. Decretis etiam antiquis, dictam responsionem nobis revelet. Cum enim in Rubrica Missalis (*Tit. VI*) aperte dicatur: quod Missa de Titulari impedito cani potest omnibus diebus, *excepta Dominica prima Adventus... prima Quadragesimae, et Palmarum, etc.;* quae Rubrica, non tantum admissa fuit in novissima reformatione Missalis Romani, sed inter exceptas adiecta est etiam *Dominica Passionis*, quis in hac re sit sensus S. R. C. aperte noscitur.

Itaque, responsio quam exhibet *Palestra del Clero* non solum non datur a S. R. C. cuius Decretum ad rem non existit, sed contradicit Rubricae, quae in casu Missam de S. Titulari

admittit quidem in Dominicis tantum II, III et IV Adventus et Quadragesimae, sed prohibet in prima tam Adventus, quam Quadragesimae.

Sed aliunde responsio data erronea est; dicit enim in ea Missa fieri debere commemorationem Dominicae et octavae, si occurrat, cum Evangelio in fine. Etenim, vel in ea ecclesia habentur saltem duae Missae, vel una tantum: si una, haec omnino esse debet de Dominica occurrenti cum commemorationibus admissis a Rubrica; aut duae, et tunc una erit de Titulari, more votivae solemnis, sine ulla commemoratione et cum Evangelio S. Ioannis in fine.

Sit hodie haec censura tantummodo, quia nonnulla dicenda forent, etiam de aliis responsis eiusdem Ephemeridis, cuius redactores rogandi sunt, ne in posterum dent similes responsiones, quae summa cum facilitate minus peritos decipiunt, qui scoriam pro auro accipiunt.

SOLUTIO QUAESTIONIS

PRO MENSE IULIO PROPOSITAE

PROPOSITIO.

Quandonam liceat officium defunctorum *cum Invitatorio* recitare vel canere in Ecclesia *sub ritu duplici*, et quando ad Laudes et Vesperas illius Psalmum *Lauda* et *De profundis* omittere?

SOLUTIO.

Pro responsione iam teneas ambas, quae sequuntur, assertiones:

1ª Assertio. Seposita tam Commemoratione omnium fidelium defunctorum quam die obitus seu depositionis, ubi

sub ritu duplici obligat recitatio vel cantus officii defunctorum *cum Invitatorio,* licet insuper in Ecclesia *sub eodem ritu* illud officium recitare vel canere *cum Invitatorio* in diebus quidem privilegiatis, sed quae solum tres habebunt Nocturnos.

2ª Assertio. Praeter diem obitus et Commemorationis omnium fidelium defunctorum, ubi omissio Psalmorum *Lauda* et *De profundis* est *de praecepto,* licet quoque *in Ecclesia* omissio praefata ad Vesperas et Laudes in aliis quidem diebus privilegiatis, sed ubi viget tantum talis consuetudo.

Si nunc argumenta quaeris, quae singulas assertionum partes stabilire valeant, infra dicenda percurre diligenter, et rationem habebis cito, cur res ita se habeant.

a) In prima assertione, quae bipartitur, ante omnia venit testimonium ipsius Rubricae, relate ad diem commemorationis omnium defunctorum, sicut et ad diem obitus seu sepulturae.

" Post Laudes diei, ut legitur die II Novembris, dicto *Benedicamus Domino,* absolute incipit Matutinum defunctorum ab Invitatorio cum Ps. *Venite* et tribus Nocturnis, in quibus duplicantur Antiphonae (1). „ Pro die obitus seu exequiarum, ut fert Rituale Romanum, " deposito feretro in medio Ecclesiae... statim, nisi quid impediat, dicatur officium mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus, ut infra ponitur; et duo ex Clero incipiant absolute Invitatorium... et duplicantur Antiphonae (2). „ " Si vero ob rationabilem causam... praedictum Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus dici non potest,.... dicatur saltem primum Nocturnum cum Laudibus, vel etiam sine Laudibus, maxime ubi eiusmodi viget consuetudo, incipiendo ab Invitatorio: *Regem, cui omnia vivunt, venite, adoremus* (3). „ Denique, " si fa-

(1) Rubr. spec.
(2) Tit. VI, cap. III, n. 4.
(3) Ibid., n. 16.

ciendae sint Exequiae absente corpore, eo die quo bene visum fuerit in Ecclesia, dicatur officium mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus, et Antiphonis duplicatis, vel saltem unum Nocturnum cum tribus Lectionibus et Laudibus... (1). „ Quibus concordat alia Rubrica Breviarii dicens: " hoc Invitatorium dicitur tantum in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum et in die depositionis defuncti, quibus diebus... Antiphonae duplicantur (2). „

Quoad reliquos dies privilegiatos, non minus certum est, quod Antiphonae duplicari debeant, teste Rubrica Ritualis: " In die vero depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario, duplicantur Antiphonae... (3); „ sed quid de Invitatorio? Si Rubricam unice haberemus Breviarii supra relatam, nullum dubium foret de eius omissione procuranda; sed haec ordinatio tantillum extenditur per decreta, et quoties in diebus privilegiatis recitantur tres Nocturni, toties dicendum est Invitatorium. Procurator generalis siquidem Eremitarum Camaldulensium quaerebat, an ob adimplendas pias defunctorum voluntates omittendum esset Invitatorium, cum Rubrica Breviarii innuat, quod hoc dicatur in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum? Et S. R. C. respondit: " negative, nempe quod in officio defunctorum, quando recitatur integrum, nunquam omittendum sit Invitatorium (4). „

Hinc ex omni parte stat inconcussa prima assertio nostra, et non est ullus auctor alicuius valoris seu notae, qui aliter sentiat.

Van Der Stappen, inter alios, dicit: " Ritus officii, quod in eis (Commemoratione omnium fidelium, die obitus seu depositionis, tertio, septimo, trigesimo, anniversario, imo anni-

(1) Ibid., cap. V.
(2) Rubr. spec. ante I Noct. Off. Defunctorum.
(3) Tit. VI, cap. IV.
(4) S. R. C., 9 Maii 1739, n. 2344, ad 2.

versariis late sumptis, et prima die libera post nuntium obitus alicuius fidelis in loco dissito defuncti vel, post inhumationem factam in die prohibito) pro defunctis peragitur, *duplici* respondet, seu censetur esse *duplex* (1). „ Et alibi: " Matutinum in exequiis, etiamsi unum tantum Nocturnum dicitur, semper incipitur ab Invitatorio... (2). „ Et adhuc: " Si Matutinum trium Nocturnorum dicitur, semper incipitur ab Invitatorio: *Regem, cui omnia vivunt* (3).

Cui inclyto Rubricistae consonat De Herdt, Le Vavasseur, A. Carpo, Lerosey, Martinucci, Mangère in suo opere *Le Bréviaire Romain commenté* etc.: quibus positis, supervacaneum foret insistere.

b) Prima pars secundae assertionis est citra omnem, quaecumque sit, controversiam. Lege v. g. quae docentur de Commemoratione generali fidelium defunctorum: " Dicto *Benedicamus Domino,* dicuntur Vesperae defunctorum incipiendo ab Antiphona *Placebo Domino,* quae integra dicitur ante et post Psalmum, similiter et aliae Antiphonae ad modum Duplicis, Ps. *Dilexi* et reliqua omnia ut in Vesp. defunctorum... excepto Psalmo *Lauda, anima mea, Dominum* qui post *Pater noster* non dicitur, sed dicitur tantum Oratio *Fidelium Deus* cum sua longiori conclusione et suis ℣℣. et ℟℟., ut ibidem notatur (4). „ Et paulo infra: " Ad Laudes, similiter duplicantur Antiphonae, et in fine Laudum non dicitur Ps. *De profundis,* sed dicto *Pater noster* dicuntur Preces et Oratio *Fidelium* tantum, ut supra in Vesperis (5). „

Si nunc interrogas Rubricam in ipso Officio defunctorum inscriptam ante Preces Vesperarum, magis plenaria adhuc erit responsio. " Sequens Ps. *Lauda, anima* in Vesperis,

(1) Sacra Liturgia Tom. IV, n. 277.
(2) Ibid., n. 361. ad 4.
(3) Ibid., n. 280, ad 3.
(4) Rubr. spec., in festo Omnium Sanctorum.
(5) Rubr. spec., die 2 Nov.

similiter Ps. *De profundis* in fine Laudum, non dicuntur in die omnium fidelium defunctorum, neque in die obitus seu depositionis defuncti (1). „ Unde res nequit remanere ullo modo incerta in hac parte.

Quid vero de altera? Si tantum attenderetur ad Rubricam, non alicui haesitationi locus esset pro eorum recitatione in omnibus aliis quibuscumque casibus, quoniam post supra relata, statim additur: " Alias semper dicuntur (2). „ Ipsa Congregatio non permittit illas omittere, quando etiam totum diceretur officium defunctorum (3), imo declarat servandam esse Rubricam Breviarii et Ritualis Romani (4), et interrogata: " Anne semper ac totum officium defunctorum *ritu duplici* recitetur, omittendus sit in fine Laudum Psalmus *De profundis?* „ respondit die 10 Ianuarii 1896: " Negative, iuxta Rubricas Breviarii Romani ac decreta, praesertim in una Ordinis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae (sub die 9 Maii 1739) ubi haec habentur: " In Officio defunctorum semper dicendum esse post Vesperas Psalmum *Lauda, anima mea*, et post Laudes Ps. *De profundis*, exceptis diebus Commemorationis omnium fidelium defunctorum et depositionis defuncti. Et ita declaravit ac servari mandavit (5). „

Attamen, quidquid sit de firmitate huius regulae generalis eadem Congregatio hodie admittit et sinit omissionem dictorum Psalmorum, dummodo recitetur officium *sub ritu duplici*, id est in diebus privilegiatis tantum, et *insuper hic modus agendi iam inibi existat.* " Quum in pluribus Ecclesiis, dicit expositor casus, a longaevo iam tempore consue-

(1) Rubr. spec., in fine Breviarii.

(2) Ibid.

(3) S. R. C., 5 Iulii 1698, n. 2002, ad X.

(4) S. R. C, 5 Maii 1736, n. 2319, *Reliq. dub.*, ad 24; 9 Maii 1739, n. 2344, ad 1.

(5) N. 3877.

tudines quaedam invaluerint, quae Rubricis minus conformes ab aliquibus iudicantur, S. R. C. exquisita fuit... : Utrum probetur usus, qui pluribus in Ecclesiis etiam Urbis obtinet, omittendi Psalmi *Lauda* ad Vesperas et *De profundis* ad Laudes in Officio defunctorum (etsi cum uno tantum Nocturno) sub ritu duplici recitato? „ Et respondit: " Affirmative,.. et ita declaravit, „ exquisita Commissionis Liturgicae sententia (1). Unde per consuetudinem id legitimatur quod aliter stricto iuri oppositum foret, quin ulla tamen difformitas cum principiis liturgicis accidat, cum regulariter in officiis duplicibus non huiusmodi Preces recitantur, et itaque iure ac merito affirmare potuimus omissionem praefatorum Psalmorum licere, praeter diem 2 Novembris et obitus, *si talis est consuetudo loci.*

Si perlegas Liturgistarum libros, omnes concordant pro affirmatione regulae generalis. Sufficiat referre textum Van der Stappen, in quo audies ceteros: " Psalmi *Lauda, anima etc.* in Vesperis, et *De profundis etc.* in Laudibus, praescripti post *Pater noster,* ante versus et orationem, non dicuntur in Commemoratione omnium fidelium defunctorum (et iam antea dixerat: non dicuntur in Officio exequiali in die depositionis defuncti); sed in omnibus aliis casibus.... semper dicuntur, etiamsi officium peragatur ritu duplici (2). „ At in vanum, nisi forte in editionibus novissime revisis, inquireres ultimum decretum, per quod legitimatur usus omittendi dictos Psalmos in quibusdam Ecclesiis, quando officium defunctorum recitatur *sub ritu duplici.*

Qui igitur voluerit in posterum acu regulam attingere sequendam, ille sub silentio tenere non debebit decretum 9 Iunii 1899.

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Rom. Censor
Paroc. loci vulgo dicti *Lannes* (Dioec. *Lingonen.*).

(1) S. R. C., 9 Iunii 1899, n. 4029, ad 3.
(2) Sacra Liturgia, Tom. IV, q. 280, ad 6; 261, ad 6.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE SEPTEMBRI.

In Ecclesia B. Mariae V. dicata, quae utpote insigne *Sanctuarium* quotidie ab incoliset accolis invisitur, quamplures eleemosynae pro missis celebrandis recipiuntur. Cum vero Cappellani eas omnes celebrare nequeant in Sanctuario, Sacerdotibus extraneis traduntur. Quaeritur: an diebus " Rubrica permissis, hae missae in paramentis nigris celebrari possint ?

APPENDIX

S. Congregatio de Propaganda Fide.

DECRETUM.

Ad removendos abusus, quos circa Missae celebrationem durante maritimo itinere, non semel occurisse relatum est, EE. ac RR. S. Congregationis Propagandae Fidei Patres, in comitiis generalibus, die 24 ultimi elapsi mensis Februarii habitis, omnibus mature perpensis, decreverunt ut infra; omnibus videlicet Missionariis suae iurisdictioni subiectis et speciali indulto fruentibus celebrandi in mari sacrosanctum Missae Sacrificium praecipiendum esse, quemadmodum per praesens Decretum S. Congregatio praecipit, ut, quoties eo privilegio utuntur, sedulo et religiose servent praescriptas regulas, in ipso apostolicae concessionis rescripto apponi solitas. Videant nempe utrum mare sit adeo tranquillum, ut nullum adsit periculum effusionis sacrorum Specierum e Calice, curent ut alter Sacerdos, si adfuerit, rite celebranti adsistat; et si in navi non habeatur Capella propria vel Altare fixum, caveant omnino Missionarii, ne locus ad Missae celebrationem delectus quidquam indecens aut indecorum praeseferat; quod certe eveniret, si augustissimum Altaris myste-

rium in cellulis celebraretur pro privatis viatorum usibus destinatis.

Porro huiusmodi EE. Patrum sententiam infrascriptus Cardinalis Praefectus, vigore specialium facultatum sibi a SS. D.no Nostro Leone div. Prov. PP. XIII concessarum, nomine et auctoritate Sanctitatis suae, die 25 supradicti mensis Februarii ratam et probatam esse declaravit.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, hac die 1 mensis Martii 1902.

L. ✠ S.

M. Card. Ledockowski, *Praef.*
A. Veccia, *Secret.*

S. Congregatio Indulgentiarum.

I.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Oblatis nobis precibus annuentes a dilecto filio Paulo Buguet Praeposito generali Piacularis Operis pro animabus derelictis loci " Montligéon „ dioecesis Sagien., omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu ubique terrarum degentibus, contrito saltem corde ac devote qualibet vice recitantibus versiculum cum responsorio " *Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis,* „ in forma Ecclesiae solita, quinquaginta dierum indulgentiam concedimus, qua tantum liceat functorum vita labes poenasque expiare. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Praecipimus autem ut praesentium litterarum (quod nisi fiat, nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur, iuxta Decretum ab eadem Congregatione sub die

XIX Ianuarii MDCCCXLVI latum et a S. M. Benedicto Papa XIV Praedecessore Nostro, die XXVIII dicti mensis adprobatum, atque volumus, ut earundem praesentium transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus habeatur fides, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXII Martii MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

L. ✠ S. Pro D. Card. Macchi
N. Marini, *Substit.*

Praesentium litterarum exemplar delatum fuit ad hanc Secretariam S. Congreg. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 26 Martii 1902.

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Franc. Archiep. Amiden. *Secret.*
Ios. M. Can. Coselli *Substit.*

II.

URBIS ET ORBIS.

Quo cultus erga Sacratissimum Cor Iesu per Catholicam Ecclesiam tam late diffusus adhuc maiora incrementa susciperet, f. r. Pius IX per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum d. d. 8 Maii 1873, nec non SS.mus D.nus Noster Leo Papa XIII, per litteras E.mi S. Rituum Cong. Praefecti, sub die 21 Iulii 1899 ad universos Episcopos transmissas, eum morem, in pluribus Ecclesiis iam obtinentem, ut per integrum mensem Iunium varia pietatis obsequia divino Cordi praestarentur quam maxime commendarunt, eique Indulgentias adnexuerunt. Quoniam vero de eisdem Indulgentiis ab utroque Pontifice concessis, pro memoratis piis exercitiis mense Iunio peragendis, aliquod dubium obortum

fuerit, ad illud removendum, immo, ut Fideles amplioribus ad cultum eiusdem SS. Cordis validius excitarentur, Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS.mo D.no Nostro specialiter tributis, ea decernit quae sequuntur:

Omnes Christifideles, qui sive publice, sive privatim, peculiaribus precibus devotique animi obsequiis in honorem SS.mi Cordis Iesu, mense Iunio, corde saltem contrito vacaverint, Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum semel singulis dicti mensis diebus lucrentur.

Qui vero Christifideles privatim tantum singulis dicti mensis diebus praefata obsequia praestiterint simulque uno die vel intra memoratum mensem vel ex octo prioribus mensis Iulii vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti aliquam Ecclesiam vel publicum Oratorium visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis pias preces effuderint, Plenariam Indulgentiam consequentur. Quam quidem Plenariam Indulgentiam etiam ii Fideles lucrentur, qui saltem decem in mense vicibus eiusmodi exercitiis publice peractis interfuerint itemque supra memorata pia opera adimpleverint.

Quas omnes Indulgentias eadem S. Congregatio etiam animabus igne purgatorio detentis fore applicabiles declarat. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 30 Maii 1902.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

L. ✠ S.

† F. Sogaro, *Archiep. Amiden., Secret.*

BIBLIOGRAPHIA.

Mons. Orazio Mazzella, Arcivesc. di Rossano. **Il divorzio nell'Ordine Sociale.** — Cl. Auctor argumenta exponit, quae e parte socialis consortii impugnant Divortium. Civilis legis auctoritas, sana ratio, rerum omnium magistra

experientia, Divortium damnant ac respuunt tamquam gravissimum Societatis malum. Eadem momenta Divortium vetant ac reprobant tamquam damnum individuorum maximum. Refelluntur obiectiones. Eruditione, argumenti robore, perspicuitate, facilitate cl. Auctor finem suum optime attingit. *Romae. Typograph. Social. 1902.*

A. VERMEERSCH, S. I. **Il m'a aimés**. *Méditations pour le mois du S. Coeur et prières choisies.* — Evangelia ad rem, et conceptus analogi ad pie meditandum apte proponuntur. *Paris. Lib. Intern. Cathol. 1902.*

Bibliotheca Sanctorum Patrum Theologiae tyronibus et universo clero accommodata. Interpretatio latina approbata et benedicta a SS. D. N. Leone Pp. XIII. Maximae utilitati Clero vertitur, specialiter in pagis oppidisque degenti utpote ingentibus Voluminibus sibi procurandis impari, et Bibliothecis accedendi facilitate destituto. Romae, apud " *Bibliotheca Sanctorum Patrum* „ *Salita dei Crescenzi.*

Adprobatio et benedictio SS. D. N. Leonis Papae XIII.

Illustrissime Domine,

Cum Beatissimo Patri supplicem libellum et rationem, qua novam " Bibliothecam Sanctorum Patrum „ *in vulgus edere constituisti, communicassem, ipse Sanctissimus Dominus Noster, consiliis tuis gratulatus, divinorum munerum auspicem, Apostolicam Benedictionem tibi peramanter concessit.*

De his autem rebus te certiorem facio, meamque erga te observantiam proferre gaudeo, qua tibi sum

Romae, IV Id. Iun. MCMI.

Addictissimus
M. Card. RAMPOLLA.

Rev.do Domino
Prof. IOSEPHO VIZZINI
Moderatori " Bibliothecae Sanctorum Patrum „ *Romae.*

IMPRIMATUR
P. Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
IOSEPH CEPPETELLI, Archiepiscopus Myren., Vicesgerens

PROPRIETAS LITERARIA.

Romae. 1902. - Typ. Bodoniana R. Alderighi, Hosp. vulgo " Tata Giovanni „
Piazza del Biscione, 95.